


Bene - Vagienna.

IO·VACCHETTA·OPVS

CAPITULA ET STATUTA COMUNITATIS BAENNARUM

AB ANNO 1293

PUBLICATA NOTIS ET INDICIBUS AUCTA

A DOCTORE IOSEPHO ASSANDRIA

EX MANDATO CONSILII EIUSDEM CIVITATIS

QUAE HODIE

BENE VAGIENNA

NUNCUPATUR



AUGUSTAE TAURINORUM

APUD BOCCA FRATRES

BIBLIOPOLAS REGIS ITALIAE

MDCCCXCII

IO·VACCHETTA·OPVS

CAPITULA ET STATUTA COMUNITATIS BAENNARUM

AB ANNO 1293

PUBLICATA NOTIS ET INDICIBUS AUCTA

A DOCTORE IOSEPHO ASSANDRIA

EX MANDATO CONSILII EIUSDEM CIVITATIS

QUAE HODIE

BENE VAGIENNA

NUNCUPATUR



ROMAE

EX OFFICINA PAPIRI MONETALIS

COMM. HENRICI BONTEMPELLII

MDCCCXCII



I

AD HONOREM domini nostri iesu cristi et beate marie eius matris et omnium sanctorum et sanctarum dei

HEC sunt rubrice capitulorum comunis baenarum

Collatio prima videlicet omnium capitulorum et ordinamentorum pertinentium domino potestati et eius familie sindicis et notariis.

Collatio secunda videlicet de ratione tenenda et de omnibus aliis rebus et capitulis et ordinamentis pertinentibus ad ipsam rationem.

*

Collatio tertia videlicet de omnibus maleficiis et ordinamentis et capitulis factis super predictis et pertinentibus ad predicta maleficia. ut infra continetur.

hic continetur de magnis maleficiis.

Collatio quinta videlicet de omnibus campariis vacheriis porcheriis berbiariis et de omnibus capitulis et ordinamentis pertinentibus ad eorum officia.

**

Collatio sexta videlicet de omnibus pratis et vineis et de omnibus capitulis et ordinamentis ad predicta pertinentibus ut infra continetur.

f. LXVI. Quod omnia prata sint bannita a medio marcio usque ad medium mensem septembrem.

Quod folia non colligantur super alienas arbores nec in alienis uineis.

f. LXVII. De non faciendo herbam in nemoribus alicuius persone in fine baennarum.

f. LXX. De paschuis non destruendis.

f. LXXII. Quod aliquis non possit plantare aliquas arbores prope uineam alicuius.

f. LXXV. De non intrando alienam uineam.

f. LXXVI. De canabo non seminando in ortis.

f. XC. (De non seminando canabo in ortis pascui).

(De non ruscando in bosco suo uel alieno).

f. XCII. (Quod galla non debeat extrahi extra uillam et posse bennarum).

De metentibus erbam in alieno prato.

f. XCIII. De boscantibus in alienis boschis.

Collatio septima videlicet de omnibus nemoribus et bannitis et de omnibus capitulis et ordinamentis ad ipsa nemora pertinentibus ut infra continetur.

f. XIIII. Quod quilibet possit incidere in boschis sine pena pro instrumentis bouum aptandis.

De emenda nemorum alienorum.

f. XXI. Ad conseruandos boschos aleuatos galiciarum et gurre.

f. XXII. Ad conseruandum boschos finis baennarum pro extraneis.

f. XXV. De custodibus priuatis super boschis.

Collatio octaua videlicet de omnibus uiis fossatis et comunaciis pertinentibus ad predicta. ut infra continetur.





I

AD HONOREM dei et beatissime marie uirginis matris eius et omnium sanctorum et sanctarum dei et totius celestis curie et domini domini episcopi (1) infrascripta capitula et statuta facta fuerunt per sapientes baennarum ad hoc electos per conscilium dicti loci et confirmata et approbata per generale conscilium eiusdem loci.

1 ## DE IURAMENTO OFFICIO ET REGIMINE POTESTATIS. (2)

PRIMO statutum est quod potestas baennarum iuret in pleno conscilio dicti loci ad sancta dei euangelia saluare deffendere et custodire suo posse omnia iura et rationes et augumenta domini nostri domini episcopi astensis (3) et ecclesias baennarum et iura earum. hospitalia uiduas et orfanos et mentecaptos et iura comunis et uille baennarum. et ipsam uillam et homines in dicta uilla habitantes: et suum regimem exercere secundum formam statutorum capitulorum et ordinamentorum comunis baennarum. et defficientibus capitulis statutis et ordinamentis secundum iura et bonas consuetudines dicti loci. et ipsas consuetudines inuiolabiliter observare.

2 DE IMPONENDA PENA NON COMPARENTI CORAM POTESTATE.

ITEM statutum est quod potestas uel eius locum tenens non possit imponere penam non comparenti coram eo ad primum nuncium ultra solidum I. (4) et ad secundum solidos III. et si non comparuerit ad tercium nuncium expectata tercia citatione. soluat pro pena solidos V. nisi hoc fieret occasione alicuius maleficii uel rixe. in quo casu ultra predictas quantitates penam imponere possit. hoc intellecto quod in verbis iniuriosis separandis. non possit imponere penam ultra solidos V. in maleficiis autem non possit imponere penam in preceptis et cridis ultra quartam partem quantitatis pene maleficii cuius occasione fuerint dicta precepta. et si ultra predictam quantitatem imponeret penam uel bannum. (5) valeat saltim in eo in quo imponere poterat. (6) Si uero aliquis citatus fuerit tribus uicibus personaliter occasione alicuius maleficii et non comparuerit habeatur pro confesso et condempnetur tamquam confessus et conuictus a qua condemnatione nullatenus appelletur licet in ultima citatione possit suam contumaciam purgare soluendo penas prime et secunde citationis.

3 DE PERSONA QUE FECERIT ALIAM PERSONAM CITARI CORAM CURIA.

ITEM statutum est quod si aliqua persona de baennis fecerit citari aliquam aliam personam coram curia ad banchum rationis et persona citata et requisita comparuerit et illa que eam citari fecerit et requiri non comparuerit a mane usque ad terciam et a nona usque ad uesperas soluat pro banno solidos II.

4 DE PERSONA CITATA.

ITEM si aliqua persona de baennis citata fuerit coram curia baennarum personaliter siue ad domum in qua habitat si illa nocte in dicta domo

siue in uilla baennarum iacuerit siue fuerit post ipsam citationem illa die uel nocte siue hora citationis facte predicte domui ad instantiam alicuius persone. et non comparuerit a mane usque ad terciam et a nona usque ad uesperas. et persona que fecerit eam citari et requiri comparuerit infra illam horam. soluat pro pena secundum quod in precedenti capitulo proximo continetur.

5 QUOD POTESTAS AUDIAT ET DIFFINIAT CUM CONSCILIO SAPIENTIS (1) BANNA CIUILIA ET CRIMINALIA:

ITEM statutum est quod potestas teneatur omnia banna criminalia et ciuilia preter banna campariorium audire cognoscere et diffinire cum conscilio sapientis expensis illorum qui habent partem in bannis. alioquin potestas non possit aliter aliquod bannum petere nec habere. et hoc capitulum locum non habeat in appellationibus. qui iudex siue sapiens eligi debeat per potestatem et sindicos comunis:

6 DE PIGNORE REDDENDO.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere reddi et restitui pignus acomodatum siue in custodia datum alicui infra tres dies postquam querimonia inde fuerit sub pena solidorum III.

7 DE PIGNORE EXCUTIENDO.

ITEM teneatur potestas facere excuti et redimi pignora data pro alio ab illa persona pro qua data fuerint infra tres dies postquam inde querimonia fuerit et inde possit imponere penam potestas solidorum III.

8 QUOD POTESTAS NON POSSIT CONSTRINGERE ALIQUEM IURARE NISI UT INFRA.

ITEM statutum est quod potestas non possit nec debeat facere aliquem iurare pro aliqua causa nec precipere ei per sacramentum nisi causa rixe. et nisi facte essent ferute uel causa robarie stratarum et furtorum et omnium aliorum maleficiorum et dampnorum. et nisi causa rerum propriarum domini episcopi (2) uel nisi in causis ciuilibus in quibus cassibus possit et debeat constringere testes perhibere testimonium ueritati et quod potestas non possit nec debeat cogere aliquem iurare sua precepta si de hiis de quibus ipsum appellaret satisdederit. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo nisi essent officiarii comunis quibus possit precipere ut exerceant legaliter suum officium sub pena usque in solidos tres. et non ultra. Et eodem modo possit potestas constringere iurare pro dampnis datis.

9 QUOD POTESTAS TENEATUR SOLUI FACERE FODRA (3) ET FACERE REDDI RATIONEM.

ITEM teneatur potestas reddere rationem equaliter bona fide et facere solui fodra ommia et talias que per comune baennarum toto tempore sui regiminis fuerint imposita. et que remanserint ad soluendum ad uoluntatem conscilii uel maioris partis. et facere fieri omnes rationes comunis et taliarum impositarum tempore sui regiminis. et ante. si inde fuerit requisitus:

10 DE EUNDO AD CRIAFORAM. (4)

ITEM statutum est quod quilibet homo debeat pergere ad criaforam nisi habuerit iustum impedimentum uel nisi esset electus stare ad uillam

et qui contra fecerit soluat pro pena solidos v si audiuerit dictam criaforam. et qui non secutus fuerit potestatem uel bandelias (1) ad criasforas. uel si ab eis se separauerit substineat eamdem penam. saluo quod credatur cuilibet persone inde inculpate eius iuramento inde habere in persona iustum impedimentum:

11 DE NON EUNDO PER UILLAM POST ULTIMAM CAMPANAM.

ITEM statutum est quod si aliquis iuerit per uillam uel per uias publicas post campanam ultimam usque ad campanam matutinarum sine lumine. uel foco nisi pergeret ad furnum uel molandinum uel ueniret inde. uel nisi esset iuxta domum uel curiam suam per tres domos uinales ab utraque parte uie. soluat pro pena quocienscumque fecerit solidum I nisi essent sacerdotes uel aliqui nuncii qui eos peterent. uel nisi essent de licentia potestatis. uel nisi duceret boues iunctos uel alias bestias. uel nisi iret causa strimite. (2) hoc intellecto quod tecta non computentur pro domibus: Et saluo si habuerit aliud iustum impedimentum et de hoc credatur cuilibet iuramento.

12 DE BANNIS REQUIRENDIS PER POTESTATEM *ET TERMINO DEFFENSIONIS.*

ITEM teneatur potestas dare seu dari facere deffensionem bannorum exceptis de maleficiis infra tres dies post accusationes factas et aliter non possit ualere accusa. Et hoc intelligatur de illis qui manent in uilla baennarum et non de aliis. (3) et quod de omnibus personis extraneis accusatis de fine baennarum possit dari deffensio per accusatores ipsarum.

13 ## DE ACCUSA DATA PER EXEMPLUM.

ITEM statutum est quod accusatio postquam data fuerit per exemplum per notarium alicui persone non possit postea mutari. et si mutaretur quod illa que data fuerit per exemplum valeat et alia non. (4)

14 ## DE PROCESSU FACTO CONTRA CAPITULUM.

ITEM statutum est quod si potestas uel eius locum tenens fecerit aliquem processum contra aliquam personam aliqua occasione contra formam alicuius capituli. uel capitulorum baennarum. talis processus sit nullius ualoris. et predicta persona sine ulla probatione uel deffensione a dicto processu absoluatur. (5)

15 ## QUOD CONSCILIUM POSSIT LICENTIAM DARE DE CAPITULIS.

ITEM statutum est quod conscilium possit dare licentiam de omnibus capitulis si placuerit conscilio uel maiori parti. saluo quod dictum conscilium non possit dare licentiam de capitulis loquentibus de aliquo ipsorum super maleficiis et penis imponendis occasione maleficiorum et delictorum comitendorum sine licentia domini episcopi (6) uel eius uicarij. seu potestatis.

16 ## DE CONDICIONIBUS UILLE SOLUENDIS.

ITEM statutum est quod omnes qui habent terras et possessiones in uilla et posse (7) baennarum teneantur soluere et facere parias (8) et condiciones (9) uille predicte exceptis dominis (10) et ecclesiasticis et illis quibus comune baennarum hoc conuenisset. et si reperiretur aliqua possessio que non sit in regesto (11) potestas teneatur inquirere et facere

poni in regesto comunis. Et quod ille qui non designauerit possessionem in regesto amittat possessionem.

17 DE GRANO PERDITO AD MOLANDINUM.

ITEM teneatur potestas facere emendari granum et omnia alia blada perdita et perditum ad molandinum ab illis qui habent molituram infra octo dies post amissionem si non posset inveniri. Et quod molendinarij et custodes molendinorum teneantur solummodo emendare et restituere dictum granum perditum absque quod dominus episcopus uel alius pro eo contribuat aliquid in dicta perditione grani. Et idem intelligatur de panno et canabo. et intelligatur dicta restitutio fieri debere. si id de quo pateretur fieri restitutio presentatum fuisset molendinariis siue custodibus molendinorum uel alicui ipsorum. aliter non. de qua presentatione credatur petenti iuramento et de quantitate perdita.

18 QUOD POTESTAS NIHIL DARE POSSIT DE BONIS COMUNIS.

ITEM statutum est quod potestas nec conscilium nec comune baennarum non possit dare nec dari facere nec mutuare alicui persone aliquid de bonis comunis. nisi essent ambaxiatores nuncij aut officiarij dicti comunis. uel debitum quoddam factum uel promissum a comuni baennarum. et quod potestas non possit ponere hoc in conscilio et si possuerit soluat et amittat pro pena de suo salario libras (1) decem. que proueniant comuni. Et si quis diceret potestati ut poneret in conscilio uel consuleret contra soluat pro pena solidos LX. et qui esset de partita aliquid dandi de comuni eamdem penam substineat. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et potestas teneatur infra mensem unum posquam iurauerit regimem. facere iurare omnes consciliarios baennarum obseruare predicta et non esse in contrarium de partita nec facere uel uenire.

19 DE DANDIS TUTORIBUS.

ITEM teneatur potestas facere dari tutores et curatores minoribus si inde fuerit requisitus. et quod potestas teneatur et debeat facere fieri et reddi rationem administrationis facte de bonis minorum a tutoribus et curatoribus et tutoribus generalibus semel in anno uidelicet inter sanctum michaellem et sanctum martinum et tutor et tutrix et curator et curatrix qui uel que dictam rationem non reddiderit infra dictum tempus soluat pro pena solidos LX. et nichilominus dictam rationem reddere teneatur. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et potestas uel eius locum tenens possit inde inquirere.

20 QUOD POTESTAS SUA DEBITA SOLUERE TENEATUR.

ITEM teneatur potestas ante quam recedat a potestaria soluere omnia debita que sua occasione fecerit in baennis uel que dare debuerit et stare in baennis post exitum sui regiminis per tres dies. et facere cuilibet rationem. Eodem modo teneatur dictus potestas soluere debita que dare debebunt eius familiares in baennis et hoc ad instantiam sindicorum comunis. et potestas teneatur sub uinculo iuramenti observare presens capitulum. (2)

21 DE FENO NON CAPIENDO PER POTESTATEM NEC DE UUIS NEC DE ORTIS.

ITEM statutum est quod potestas non debeat nec possit accipere uel accipi facere in aliquo loco de aliquo feno in mugiis uel aliter. nisi emerit. nec de uuis uinearum nec de ortis nec de aliquibus aliis rebus hominum baennarum.

22 QUOD EXTRANEI NON PORTENT ARMA PER UILLAM.

ITEM quod extranei qui uenerint in baennis in predicta uilla non portent nec portare debeant arma. Et hospes in cuius hospitio illi extranei siue aliqua persona extranea hospitati fuerint teneatur et debeat denunciare eis quod dimittant arma in hospitio. et si postquam per dictam uillam arma portarent amittant ipsa arma. Et hospes si non denunciaret ut supra amittat pro qualibet uice solidos III astenses. et hoc nisi fieret de licentia potestatis uel iudicis uel tenentis locum ipsorum. et quelibet persona tam familiaris potestatis quam alia quecumque possint inde accusare. et cum iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni.

23 DE PETENTIBUS DEBITUM IAM SOLUTUM.

ITEM ob creditorum malitiossorum malitiam refrenandam et ut malitiis ipsorum possit diligentius obuiari. statutum et ordinatum est quod si aliquis uel aliqua persona coram iudice uel potestate uel ipsorum locum tenentibus petierit aliquod debitum de quo ei satisfactum fuerit. uel instrumentum coram predictis personis produxerit uel de ipsis se iuuauerit uel iuuare uoluerit de quo instrumento ei satisfactum fuerit soluat nomine pene tantum quanta fuerit quantitas quam petierit de qua ei satisfactum sit. Eamdem penam incurrat quelibet persona que petet debitum alieno nomine siue petat in toto siue in parte. dummodo petat quantitatem. de qua ei satisfactum sit. et instrumentum siue instrumenta de quibus se iuuauerit reddantur et restituantur per potestatem uel eius locum tenentem debitori qui satisfecisset de debito supradicto. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. cuius pene medietas sit persone cui facta fuerit dicta petitio debiti soluti seu contra quam se iuuauerit uel produxerit instrumentum uel instrumenta ut predictum est. Et quod potestas uel eius locum tenens possit de predictis et quolibet predictorum inquirere ad suam

2

plenam et liberam uoluntatem tam de preteritis quam de futuris. et sicut ei uidebitur. aliquo capitulo facto uel facturo in contrarium non obstante.

24 DE CITATIONIBUS.

ITEM statutum quia citationes quecunque ex nimia causa procedunt statuerunt et ordinauerunt sapientes. quod si aliquis uel aliqua persona aliquem uel aliquam personam coram iudice uel potestate malitiose citari fecerit uel causa citationis iniusta inuenta fuerit. Quod potestas uel iudex incontinenti persone citate per eam personam que ipsam personam citari fecerit. dampnum quod iurare uoluerit habuisse occasione dicte citationis seu expensas quas persona citata iurauerit se fecisse restitui facere teneatur facta inde taxatione per potestatem. si persona citata iurauerit dampnum habuisse uel expendisse ultra quam uidebitur potestati.

25 DE PALEIS NON TENENDIS IN UILLA.

ITEM quelibet persona habens paleas in uilla baennarum teneatur ipsas paleas extrahi facere de dicta uilla postquam cridatum fuerit usque ad terminum dicte cride. (1) et qui contra fecerit soluat pro pena solidos x pro quolibet die quo steterit ad extrahendum paleas predictas qui terminus cride sit xv dierum ad minus excepto quod a carrata (2) una infra de paleis congregatis. et de una carrata palearum. nec de paleis spantiatis uel de paleis auene que reponerentur causa alendi bestias. aliqua persona non teneatur de aliqua pena. et potestas non possit inde dare licentiam alicui persone. et si aliqua persona contrafecerit et a dicto termino ultra ullum dampnum datum fuerit in bladis uel rebus predicte persone contrafacientis nullum bannum uel emenda (3) soluatur durante regimine potestatis dicti temporis. eamdem penam substineat quelibet persona que possuerit aliquas messes uel congregauerit in uilla baennarum exceptis mexonibus mexonariorum. et idem intelligatur de folia.

26 DE NON PETENDO DONUM IN ECCLESIA.

ITEM statutum est quod si aliquis petierit aliquod donum in ecclesia baennarum soluat pro pena solidos v curie. et quod nullus debeat ponere res aliquas impedientes dictam ecclesiam in ipsa ecclesia. et qui contra fecerit soluat pro pena solidos x quocienscunque fecerit. et hoc non possit remoueri aliquo modo. et potestas teneatur facere expediri :

27 QUOD ALIQUIS NON PONAT BESTIAS MORBOSAS IN UILLA SIUE MORTUAS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non ponat aliqua animalia mortua in uilla baennarum nec in fossatis uille baennarum iuxta uias nec iuxta ayralia et qui contra fecerit soluat pro pena solidos x et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inquirere. et soluta pena uel non. potestas possit imponere penas et banna ad suam uoluntatem pro dictis bestiis auferendis de dicto loco siue locis.

28 QUOD UIA TENEATUR APERTA IUXTA MURUM NOUUM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere fieri et teneri apertam uiam iuxta murum nouum in uilla baennarum amplam una tessa. (1) et ibi nullus faciat nullum habitaculum uel artificium. et qui contrafecerit pro banno soluat solidos v. et dictam uiam nichilominus expedire teneatur. de hoc capitulo excipiuntur domus uillelmi donne aluixie et domus boziis. (2) et quod potestas teneatur facere teneri apertam unam uiam per quam eatur ad batagleriam (3) uillelmi bencij in contrata dicte bataglerie. et designare dictam uiam per IIII homines ad hoc electos. et murum nouum intelligatur a castro (4) usque ad domum banallorum.

29 DE PATIENTIBUS EGRITUDINEM BEATI LAZARI.

ITEM statutum quod quelibet persona que fuerit electa uel condempnata egrota de egritudine beati lazari (5) non debeat stare nec habitare in baennis nec intrare dictam uillam sine capello in capite. et sine tarauellis (6) et sutellaribus (7) in pedibus. et qui contrafecerit incontinenti frustigetur usque extra uillam et potestas teneatur facere cognosci egrotos predictos in uilla baennarum infra mensem unum postquam iurauerit.

30 DE FORNACE.

ITEM teneatur potestas facere teneri in pede fornacem unum et facere cupos fieri et magnos secundum suum posse fornaxario uel fornaxariis ad dictum fornacem. et quod potestas nec conscilium uel comune seu aliqua persona de baennis non possit prestare uel dare seu acomodare alicui persone extranee de predictis maonis uel cupis aliquo modo. et si aliquis fornaxarius uoluerit fornaxare in pasquo (8) uel a uilla superius comune teneatur emere iornatam (9) terre. et quod aliqua persona non possit extrahere cupos uel maonos de fine baennarum aliquo modo. et qui contrafecerit soluat pro pena solidos xx curie. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. eodem modo teneatur potestas fieri et manuteneri unum alium fornacem a uilla inferius ubi uidebitur sapientibus ad hoc electis quos teneatur facere eligi et emi terram ad hoc neccessariam infra mensem postquam iurauerit regimen et facere compleri dictum fornacem usque ad medium aprilem proximum.

31 DE CONDEMPNATIONIBUS FACIENDIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur condempnare uel absoluere seu facere condempnationes uel absolutiones bannorum de conscilio iu-

dicis ad hoc constituti. et ipso iudice presente in baennis. que condempnationes seu absolutiones legi et publicari possint ipso iudice absente. et presente etiam inculpato uel saltem legitime citato per cridam. ita quidem quod ibidem incontinenti antequam ad aliud procedatur per potestatem. teneatur ipse potestas facere legi ipsas condempnationes et absolutiones banni predicti. et hoc intelligatur fieri debere si inculpatus erit presens et eo tempore quo potestas uel iudex erunt uel ius reddiderint occasione audiendi allegationes inculpatorum super bannis cognoscendis. alioquin dictus dominus potestas non possit bannum ullum petere exigere uel habere. Et hoc intelligatur de bannis cognoscendis tantum. et quod omnes condempnationes et absolutiones que fient in baennis tam predicte quam alie fieri et legi debeant ubi ius redditur in baennis et quod iudex teneatur facere condempnationes antequam recedat de uilla.

32 QUOD EMENDE COMUNIS DENTUR A CLAUARIO. (1)

ITEM teneatur potestas facere solui et dari emendas omnes clauario uel ad hoc constituto quam cito bannum soluetur curie. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et eodem modo teneatur excutere alias emendas quam cito excutiet banna. et dare ipsas substinentibus dampna.

33 DE CAUALARIA (2) DANDA.

ITEM statutum est quod nulla persona non soluens fodrum uel taliam in baennis. et non habitans ibidem cum tota familia sua possit nec debeat habere a comuni baennarum aliquam caualariam nec euam (3) aliquam seu scontrum (4) occasione alicuius caualarie. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

34 ## QUOD OMNIA CONSCILIA LEGANTUR IN CONSCILIO.

ITEM statutum est quod potestas et rectores societatis baennarum teneantur facere scribi omnia conscilia que fient in quolibet conscilio. et ipsa conscilia facere legi coram consciliariis antequam recedant a conscilio. Et quod potestas non possit ponere in uno conscilio ultra IIII propostas. et quod conscilia legantur in conscilio. alioquin ordinamenta que non legentur coram consciliariis et scribentur in dicto conscilio sint nullius ualoris. Et quod nullus debeat consulere siue dicere id quod alius dixerit siue consulerit. et quod potestas teneatur et debeat facere partita de quolibet consciliario secundum quod quilibet consulerit pro se.

35 ## DE RATIONE REDDENDA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere rationem de causis ordinariis alicui persone nisi tribus diebus in edomada. scilicet die lune. die mercurii. et die ueneris. Eo saluo quod in litibus inceptis. in testibus. et aliis probationibus faciendis uel producendis non debeat litigantibus aliquod preiudicium generari.

36 ## DE PENA IMPOSITA ARANCANTIBUS (5) TERMINOS.

ITEM statutum est quod si inueniretur aliquis terminus comunis arancatus postquam positus fuerit per aterminatores comunis baennarum ille ad cuius possessionem iuxta positus fuerit soluat pro pena solidos v. nisi indicauerit qui dictum terminum erancasset. uel indicaret quod sciret terminum arancatum. illum poneret in loco de quo esset arancatus. aut denunciaret potestati quod arancatus esset. et faceret ipsum poni sicut stare consueuerat: **Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere.**

37 ## De citatis per potestatem.

Item statutum est quod si aliqua persona citata fuerit uel requisita facere aliquid cuius requisitionis et citationis pena sit de solidis III et infra. et iurare uoluerit se non fuisse in uilla baennarum uel in loco quo potuisset observare ipsam citationem et requisitionem. quod inde aliquam penam non substineat. sed sine aliqua probatione absoluatur:

38 ## De instrumento debiti non reficiendo.

Item si aliqua persona requisiuerit a potestate uel eius locumtenente sibi refici instrumentum aliquod alicuius debiti. et debitor penes se habuerit instrumentum ipsius debiti incissum. et iurare uoluerit cum uno teste qui non sit de eius familia. et iurauerit solutionem ipsius debiti factam esse creditori uel alteri loco sui quod potestas non possit facere refici illud instrumentum. sed teneatur ipsum debitorem absolui facere per creditorem.

39 ## De denunciatione facienda alicui ut prosequatur ius suum. (1)

Item quod si aliqua persona de baennis dixerit uel denunciauerit coram potestate uel eius locumtenente alicui alteri persone quod si uult uel intendit ab ea petere aliquid illud petat et petere debeat infra mensem I post ipsam denunciationem alioquin ultra mensem non audiatur per potestatem. sed teneatur potestas ipsum creditorem facere restitutionem debitori instrumenti seu instrumentorum et facere debitorem penitus absolui. et si contingerit personam cui facta fuerit dicta denunciatio facere petitionem aliquam infra dictum terminum teneatur presentare in dicta petitione. et iure ordinario procedere et in lite persistere usque ad sententiam diffinitiuam secundum formam alterius capituli loquentis de causis ciuilibus. alioquin petitio predicta pro non facta habeatur.

40 QUOD SAXIMENTUM NON FIAT IN DIE MERCATI.

ITEM statutum est quod si aliquis duxerit aliquam mercandiam in mercatum baennarum silicet in die mercati quod in predicta tota die non possit aliquid saxiri nec aliquid detineri quod duxerit uel aportauerit in dictum mercatum uel aliquid quod emerit in predicta die mercati.

41 DE PENA IMPONENDA PER POTESTATEM PRO BANNIS EXCUTIENDIS.

ITEM statutum est quod potestas non possit imponere penam in causis criminalibus (2) alicui persone baennarum pro bannis excutiendis uel condempnare ultra solidum I si bannum fuerit solidorum V uel infra. et si fuerit a solidis V supra usque in solidos X non possit imponere penam ultra solidos II. Et si fuerit solidorum X et a solidis X supra non possit imponere penam ultra solidos III usque in solidos XX. et a solidis XX supra usque in libras X solidos V. et a libris X supra possit imponere penam usque in solidos X. et non ultra.

42 QUOD POTESTAS NON POSSIT FACERE FIERI CRIDAM.

ITEM statutum est quod potestas baennarum non possit nec debeat facere fieri aliquam preconizationem (3) uel cridam sine uoluntate et licentia conscilii baennarum. et si contrafecerit predicta preconizatio sit nullius ualoris uel momenti. nisi hoc faceret occasione alicuius rixe maleficii uel stremite. et nisi fieret ad instantiam alicuius persone specialis de aliquo facto quod tangeret ipsam et nisi fieret causa publicationis uel obseruationis alicuius capituli uel ordinamenti baennarum.

43 QUOD POTESTAS NON CAPIAT ALIQUEM PERSONALITER DE BAENNIS.

ITEM statutum est quod potestas non possit nec debeat capere personaliter aliquem de baennis uel habitatorem dicti loci nec ducere ipsum in castrum qui poterit dare securitatem et dederit bonam et ydoneam de eo de quo ipsum requisiuerit potestas. nisi esset pro maleficio. uidelicet pro robaria proditione et furto et dampno dato de nocte. et pro feruta periculosa. et pro ceteris maleficiis siue delictis pro quibus siue occasione quorum imponenda esset corporalis pena uel sanguinis siue tormentatio.

44 DE MULIERE SEPARATA AB HOSPITIO FILIORUM.

ITEM statutum est quod mulier que se separauerit ab hospitio filiorum suorum uel mariti et receperit dotem suam teneatur soluere fodrum et taliam comunis pro tanta parte quantitatis quam receperit ab eo tempore citra quo regestum factum est. quanta taxata fuerit per sapientes ad hoc electos. et idem intelligatur et obseruetur de omnibus dotibus que recipientur ex successione alicuius mulieris defuncte siue mortue uel alia quacumque occasione dummodo recipiatur dicta dos de hospitio sine bonis obligato uel obligatis pro dicta dote restituenda.

45 DE TERMINO DEFENSIONIS DANDO.

ITEM statutum est quod detur et assignetur terminus deffensionis cuilibet persone accusate uel inculpate de aliquo banno seu maleficio x dierum ad minus. et plus si de grandi maleficio inculpata foret. aliter potestas non possit procedere contra aliquam personam accussatam uel de aliquo maleficio uel facto inculpatam. et quod dies in quo data fuerit dicta

deffensio scribatur iuxta accussam uel processum. aliter processus et accussa non ualeant. Et quod si dicta deffeusio non fuerit data accussa non valeat. seu processu facto. ipso iure sint penitus absoluti.

46 DE BANNIS CAMPARIORUM COGNOSCENDIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona accusata per camparium requisiuerit potestatem uel eius locum tenentem quod sibi cognosci faciat bannum ipsius accusse infra tempus termini deffensionis sibi date. ipse potestas et eius locum tenens teneatur facere sibi cognosci dictum bannum ipsius tantum persone accusate * per iudicem constitutum ad alia banna cognoscenda. et quum alia banna cognoscentur in baennis et iudex * non possit petere uel habere de omni cognitione huiusmodi accusarum factarum per camparium de solidis x et infra ultra denarios VI. et a solidis x supra usque in solidos XX ultra solidum I. et a solidis XX supra habere debeat pro cognitione. ad rationem solidi I pro libra et non ultra. (1)

47 DE EUTENDIS BANNIS CONDEMPNATIONIUM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona condempnata de aliquo debito uel re alteri persone denunciauerit potestati uel curie baennarum uolendo euitare bannum condempnationis quod parata sit et uelit iurare manifestare sua bona et dare in scriptis ea creditori
potestas teneatur ipsam personam iurare manifestare bona fide omnia bona sua. et precipere ei sub pena solidorum III quod infra tertium diem proximum consignet et det ea in scriptis creditori cui condempnata fuerit. et hiis taliter factis dicta persona condempnata penam seu bannum condempnationis aliquod non incurrat. hoc intellecto quod si debitor dare uoluerit creditori tanta bona ydonea mobilia que sufficient in solutione debiti. quod non teneatur iurare dare in scriptis bona sua creditori.

48 DE COPIA FACIENDA CAPITULORUM ET ORDINAMENTORUM.

ITEM statutum est quod potestas et notarius curie baennarum et eorum locum tenentes teneantur monstrare et ostendere seu ostendi facere cuilibet persone hoc requirenti omnia capitula et ordinamenta si qua in libris capitulorum et ordinamentorum fuerint. que ipsi persone sint necessarie et facere copiam de libris ipsorum capitulorum et ordinamentorum ipsi persone uel alii pro ea sine ullo loerio sibi dato uel promisso. dummodo ipsorum librorum copia in presentia ipsius potestatis uel eius locum tenentis seu dicti notarii ceperit. ita tamen quod si illa persona ea capitula uel ordinamenta habere uoluerit per exemplum dicto notario curie de exemplatura ipsorum competenter satisfacere teneatur. insuper dictus notarius teneatur exemplare et dare exemplatam persone accusate uel inculpate de aliquo banno a quantitate solidorum v et infra pro denariis III accussam. et a solidis v supra pro denariis VI. et ultra predictas quantitates petere uel habere nequeat pro accusis aliquibus exemplandis.

49 QUOD MONSTRETUR AD OCCULUM LOCUS DE QUO FACTA EST ACCUSSA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere ostendi et monstrari ab accussatore cuilibet persone accusate et eius testibus ad occulum locum in quo dampnum factum fuerit uel id de quo ipsam personam accusauerit si inde a persona accusata fuerit requisitus infra terminum deffensionis date alioquin * dicta accusa sit nullius ualoris. hoc saluo quod accusator priuatus non teneatur ostendere locum de quo accusauerit persone accusate sed notario qui scripsit accusam. qui non teneatur postea monstrare dictum locum persone accusate * et quod dictum capitulum locum habeat occasione accusationum factarum occasione dampnorum datorum priuatorum siue in comunibus. (1)

* Si accusans requisitus fuerit per accusatum uel per potestatem post ipsam requisitionem infra tres dies dictum locum non ostenderet soluat bannum quod debuisset soluere accusatus *.

50 ## QUOD BANNA SOLUANTUR A PASTORIBUS.

ITEM statutum est quod pastores teneantur soluere banna et emenda pro illis bestiis que accusate fuerint sub custodia ipsorum. ita quidem quod non possit peti dictum bannum et emenda pro dictis bestiis in hoc casu nisi pastoribus supradictis. eo saluo quod si pastor uel pastores sunt de familia domini bestiarum. et non habuerint unde soluant. dominus bestiarum in illo casu soluere teneatur bannum et emendam pro bestiis suis accusatis.

51 ## QUOD EDIFICIA FACTA SUPER COMUNI COPERIANTUR CUPIS UEL SCANDOLIS.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens seu que in futurum habuerit aliquam porticum seu edificium aliquod super comuni in uilla baennarum teneatur et debeat dictum edificium seu porticum coperire cupis uel scandolis usque ad sanctum laurentium proximum uenturum. sub pena solidorum v astensium pro qualibet persona contrafaciente. et a dicto termino ultra semper et continue manutenere copertum dictum edificium cupis uel scandolis sub eadem pena. quod capitulum factum est sub anno domini millesimo CC.LXXXXIII inditione sexta die ultimo augusti. (2) et potestas possit et teneatur inde inquirere. et quilibet possit inde accusare. et eius iuramento credatur.

52 ## QUOD ACCUSE FIANT INFRA CERTUM TERMINUM.

ITEM statutum est quod omnes accuse campariorum fieri debeant infra tertium diem a die offensionis facte uel dampni dati. alioquin omnes accuse aliter facte nullius ualoris sint et habeantur. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et in tribus dictis diebus computentur dies offensionis date seu dampni dati. et quod in qualibet accusa contineatur nomen diei in qua facta fiet. (3)

53 QUOD NULLUS ELECTOR POSSIT SE ELIGERE.

ITEM statutum est quod nullus elector uel officialis possit se eligere ad aliquod officium. et si se elegerit electio sit nullius ualoris. eodem modo nullus ex electoribus possit eligi ab eius sociis ad aliquod officium.

54 QUOD NON DETUR DEFENSIO ALICUI ANTEQUAM PROBATUM SIT.

ITEM statutum est quod non possit dari ulla deffensio alicui persone de aliquo banno uel ofensa seu de aliquo facto per modum denunciationis inquisitionis uel accusationis seu alterius cuiuscumque processus contra ipsam personam facti super quo necessaria sit probatio testium nisi prius facta fuerit super predicto facto contra dictam personam inculpatam probatio legitima uel saltem semiplena. quod capitulum tam potestas quam notarius curie baennarum obseruare teneantur iuramento.

55 QUOD OMNIA PLACITA ORDINARIA DEBEANT PER POTESTATEM AUDIRI ET COGNOSCI.

ITEM statutum est quod placita ordinaria debeant per potestatem audiri et cognosci. et diffiniri. et possit probare infra xxx dies et non ultra exceptis diebus dominicis et festiuis appostolorum. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et possit reuocare seu appellare ille qui succubuerit a die sententie late usque ad x dies et non ultra. et procedere infra unum mensem si causa fuerit a solidis c infra. et de solidis c et supra infra duos menses et ultra debeat potestas eos constringere et sententiam mandare executioni. et a solidis x infra non possit appellare seu reuocare in causis ciuilibus. et potestas teneatur et debeat ipsas causas diffinire cum conscilio sapientis si ab una parte fuerit requisitus expensis utriusque partis.

56 ## DE APPELLATIONIBUS.

ITEM statutum est quod cause appellationum factarum a sentenciis tam ciuilibus quam criminalibus coram domino episcopo (1) agitentur uel eius iudice. et ipse cause appellationum ordinarie seu ciuiles per ipsum dominum episcopum (2) uel eius iudicem diffiniantur post quadraginta dies postquam appellatio facta fuerit. si a parte uel a partibus fuerit requisitum. ante uero XL dies diffiniri non possint nisi fieret cum consensu partium. et quod diffiniri non possit nisi per uicarium domini episcopi (3).

57 ## QUOD ACCUSATIO NON EXPRIMATUR IN LIBELLO (4) ET TERMINO AD RESPONDENDUM LIBELLO.

ITEM statutum est quod aliqua persona non teneatur exprimere uel ponere accusationem in aliquo libello seu querimonia scripta. Et nemo teneatur dare nec facere aliquam querimoniam scriptam a solidis x infra. Et potestas teneatur etiam dare terminum respondendi libello seu querimonie scripte de solidis xx et supra VIII dierum. et a solidis xx infra IIII dierum. et ad dictos terminos debeat respondere petitioni sine libello.

58 ## DE DATA (5) SOLUENDA.

ITEM statutum quod non possit dari data nisi denarium I pro solido usque in solidos XII. et a solidis XII usque in solidos xx denarios XII. et si causa fuerit de solidis xx uel supra denarios XII pro qualibet libra et non plus computando a solidis xx supra de media et quarta parte libre quintam et sextam partem quantum peruenerit de ipsis denariis XII. et teneatur soluere datam ille qui succubuerit in causa. et postquam actor aquitauerit datam reus teneatur aquitare. infra duos

dies datam. et si tunc non aquitauerit debeat dictus reus condempnari in re petita. Et hoc intelligatur si actor aquitauerit datam presente reo. aliter non. Et si partes se concordauerint infra VIII dies restituatur eis data per ipsas soluta.

59 DE REBUS DANDIS IN SOLUTUM CREDITORIBUS.

ITEM statutum est quod creditor teneatur et debeat capere in solutum omnes res mobiles debitoris antequam perueniant ad immobiles. et cum res mobiles debitoris deficiunt seu defecerint. tunc possit facere liurari (1) et dare in solutum creditori de rebus immobilibus debitoris. et non possit etiam creditor facere sibi liurari et dari in solutum domum debitoris dum debitor habuerit alias res mobiles uel immobiles ad soluendum. et possit dictus debitor recuperare res immobiles liuratas creditori infra annum et diem. post dictam liurationem. si restituerit creditori. infra dictum tempus quantitatem debiti pro qua dicte res liurate fuerint et denarios III pro qualibet computatis godiis (2) perceptis in solutione predicta. et quod quelibet persona que recipere debebit aliquid ab aliqua persona de baennis teneatur et debeat capere in solutione debiti nihil aliud tam de immobilibus quam de mobilibus (3)

60 DE REBUS MALORUM DEBITORUM DANDIS IN SOLUTUM FIDEIUSSORIBUS.

ITEM potestas teneatur facere dari in solutum de rebus malorum debitorum fideiussoribus qui soluerint uel dederint pignora pro aliis. duas numatas (4) pro uno alio denario nisi essent res mobiles uel dos. et tunc numata detur pro denario. et possit debitor recuperare res immobiles liuratas fideiussori in annum et diem post liurationem factam si restituerit fideiussori predicto quantitatem dicti debiti infra dictum tempus et expensas liurationis et omne interesse suum. computando godias perceptas in solutione predicta.

61 # DE LIURATORIBUS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat dare et liurari facere in solutum de rebus malorum debitorum creditoribus. Scilicet de mobilibus unam numatam pro denario uno et de immobilibus tres numatas pro II denariis et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

62 # DE REBUS LIURATIS RESTITUENDIS DEBITORIBUS.

ITEM statutum est quod creditor uel alter cui res alicuius debitoris liurate et date fuerint in solutum pro aliquo debito teneatur et debeat relaxare penitus expeditas omnes res sibi liuratas et datas in solutum intra x annos pro tanta quanta fuerit quantitas propter quam fuerint ipse res liurate computatis etiam expensis factis per ipsum creditorem in ipsa liuratione et datione in solutum occasione ipsarum rerum liuratarum alii uel aliis creditoribus ipsius debitoris cuius erant res liurate. si dicto creditori soluere uoluerit debitum et expensas predictas. siue anterior ille cui liurate fuerint ipse res fuerit siue posterior. saluo quod restituatur melioramentum factum in dictis rebus liuratis secundum extimationem extimatorum comunis. hoc saluo. quod si persona illa cui liurate fuerint dicte res soluere uoluerit et soluerit alteri creditori debitum pro quo petierit res liuratas sibi restitui. quod non teneatur in hoc casu ad restitutionem rerum predictarum.

63 # DE SALARIO LIURATORUM.

ITEM statutum est quod illi qui electi fuerint liuratores malorum debitorum non debeant nec possint habere nisi denarios II pro libra * tam in uilla baennarum et extra * et a solidis xx infra totidem. Et debeat soluere ille cuius essent res. Et quod notarii habere debeant pro factura instru-

menti denarios II pro qualibet libra de mobili et de immobili denarios IIII pro qualibet libra (1).

* in villa baennarum et extra denarios IIII pro libra *

64 QUOD PRINCIPALIS PRIUS CONUENIATUR ANTE QUAM FIDEIUSSOR.

ITEM statutum est quod creditor alicuius debiti non possit petere aliquid nec habere a fideiussore seu fideiussoribus pro aliis constitutis dum predictus creditor inueniet aliquid de rebus expeditis principalis debitoris. et quod potestas non debeat predictum creditorem uel creditores inde audire nec facere inde rationem. et quilibet intelligatur esse fideiussor quamuis se constituerit principalem debitorem. nisi ille uel illi qui fuerint confessi debitum se habuisse et recepisse. et hoc locum habeat tam in preteritis quam in futuris. et personis habitantibus in baennis tantum. saluo quod si plures debitores fuerint in uno debito in solidum obligati. et per publicum instrumentum apparuerit dictum debitum peruenisse in utilitatem alicuius ipsorum uel aliquorum. quod alius uel alii debitores ad cuius uel quorum instantiam factum fuerit dictum instrumentum teneatur seu teneantur fideiussores esse et in illo casu non possit creditor procedere contra ipsos nisi tamquam contra fideiussores non obstante confessione facta in instrumento debiti.

65 DE BONORUM EXCUSSIONE.

ITEM statutum est quod in excussione bonorum uacantium sufficiat si fiant inde tres cride seu preconizationes super campanile (2) baennarum tribus diebus continuis precepto potestatis. uel eius locum tenentis in quibus tribus preconizationibus seu cridis contineatur et preconizetur qui uult deffendere bona uel heres esse illius cuius bonorum fiet excussio si mortuus fuerit. et si fuerit absens contineatur in ipsis cridis qui uult deffen-

dere talem absentem. ponendo nomen eius cuius bonorum fiet excussio et bona eius et cetera continuando cridis ut solitum est fieri. Et quod hiis factis detur curator dictis bonis si non apparuerit legitimus deffensor. per quem curatorem fiat inventarium. et quod dictus curator condempnetur. et si dictus curator in dictis bonis uacantibus nihil expeditum inuenerit pronuncietur per potestatem uel eius locum tenentem dicta bona uacantia fore legitime excussa. dando regressum illi uel illis ad cuius uel quorum instantiam predicta facta fuerint contra pignorum possessores. et his factis dicta bona habeantur legitime excussa non obstante aliqua solempnitate iuris.

66 DE APPELLATIONE A PRECEPTIS.

ITEM statutum est quod si potestas uel eius locum tenens fecerit aliquod preceptum alicui persone de baennis aliqua occasione. et contra ipsum preceptum oppositum fuerit seu requisitum quod cognoscatur. potestas teneatur facere cognosci per iudicem cognitorem bannorum. antequam possit pro dicta occasione procedere in aliquo precepto faciendo. nisi esset pro aliquo maleficio. eo modo quo cognoscuntur alia banna baennarum.

67 DE IURAMENTO CAMPARIORUM.

ITEM teneatur potestas facere iurare omnes camparios saluare et custodire omnes boschos et omnes alias res. et quod ipsi camparii non debeant incidere uel incidi facere in boschis in quibus alii non incident. et qui contrafecerit soluat pro pena duplum huius quod soluunt alii homines baennarum. et si aliquis camparius acceperit aliquod seruitium causa uitandi bannum soluat pro banno quocienscumque fecerit solidos LX curie. et camparii credantur de accusationibus per eos factis. et quod camparius qui contrafaceret sit priuatus illo officio et si fecerint aliquod amassum (3) incurrant penam solidorum LX et quilibet homo bone fame possit accusare et eius iuramento

credatur et habeat tertiam partem banni et potestas inquirere possit ad suam uoluntatem.

68 QUOD POSSIT IN BOSCHIS PRO APTANDIS INSTRUMENTIS BOUUM FRACTIS INÇIDI.

ITEM statutum est quod quelibet persona cui frangeretur currus uel plouum (1) uel aliud massarezium bouum iuxta aliqua nemora bannita uel iurata de fine lequi (2) coste magne uel baennarum que non sit domini episcopi (3) uel ecclesie baennarum possit capere in ipsis boschis impune et sine banno et incidere omnia lignamina pro dicto massarezio aptando ibidem et credatur incidenti suo sacramento de predictis.

69 DE EMENDA NEMORUM ALIENORUM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere dari illis qui dampnum fecerint in alienis boschis tantum pro emenda quantum fuerit dampnum illi cui dampnum factum fuerit si dictam emendam habere uoluerit. et tanto plus quanto dampnum maius esset banno. Et idem intelligatur quantum ad emendam de omnibus aliis dampnis.

70 QUOD CUSTODES OUIUM NON PORTENT APIAM NEC SECURIM.

ITEM statutum est quod custos ouium et caprarum qui portauerit secum maneriam (4) apiam uel securim uel aliud ferrum de quo possit scaruare (5) soluat pro pena quocienscumque contrafecerit solidos III curie a festo sancti martini usque pasca. excepto cutello de uagina quem possit portare ad suam uoluntatem. et etiam in defexio (6) pastores caprarum

uel ouium non possint portare aliquem cutellum aliquo tempore et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et potestas possit inde inquirere.

71 De clausuris faciendis inter consortes.

Item statutum est quod quelibet persona habens ortum terram domum uel ayrale intra uillam baennarum uel ayralia. teneatur et debeat facere medietatem clausure inter se et consortem suum. et quod potestas teneatur ipsum consortem constringere facere medietatem dicte clausure si ab alio consorte fuerit requisitus. non intelligatur clausura nisi fuerit sufficiens. et quod potestas possit ponere penam usque in solidos III pro qualibet die.

72 Quod piscatores portent pisces in platea.

Item statutum est quod potestas teneatur constringere omnes piscatores quod omnes pisces quos ceperint insimul in platea defferant quos uendere uoluerint et saluacinas similiter. ita quod nullum piscem uel nullam saluacinam domi teneant. et persona que contrafecerit soluat pro pena quotiescumque contrafecerit solidos [illegible] curie. eamdem penam substineat qui pisces uel saluacinas uendiderit nisi in plathea baennarum. * et uenditores piscium predictorum uel saluacinarum non possint nec debeant se absentare nec remouere dictos pisces uel saluacinas de platea nisi sicos uel marinos ut dictum est. nec etiam se absentare quousque ipsos uel ipsas uendiderint precio competenti. et dictos pisces teneantur trauachare (7) super bancham (8) ita quod omnes appareant exceptis personis extraneis que non teneantur trauachare. Et persona que contrafecerit soluat pro pena qualibet uice qua contra predicta fecerit uel aliquod predictorum solidos v. et nullus tabernarius emere possit ultra denarios VI piscium recentium. sub eadem pena. et quelibet persona possit inde accusare. et eius iuramento credatur.

et teneatur priuata et potestas teneatur et possit inde inquirere pluribus uicibus in anno. * (1)

73 DE LIBRIS ET MENSURIS INQUIRENDIS. (2)

ITEM teneatur potestas inquiri de singulis in singulis mensibus omnes libras et mensuras bladi et uini panis et aliarum rerum et cuzolios. et si aliqua persona falsam mensuram uel libram dederit et iniustam tenuerit uel dabit soluat pro pena quocies fecerit solidos XX curie et quelibet persona fame bone possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento.

74 DE MENSURIS ET PESIS RECERCANDIS.

ITEM statutum est quod stanciatores (3) et recercatores comunis constituti super mensuris pesis sestariis et libris et aliis recercandis nequeant petere uel habere aliquod loerium (4) pro recercatione mensurarum librarum pesarum que iniuste reperirentur. et quod persona aliqua non teneatur facere recercari suum sestarium nisi semel in anno et quilibet stanciator possit accusare omnes personas que dederint mensuram uel libram iniustam. et ei credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur iuramento recercare pessas et mensuras pani et uini et carnium. et panes tabernariorum factos ad uendendum semel in edomada ad minus. Et teneantur panaterie facere solomodo obolatas (5) panis semper quantumcumque sestarius furmenti ualebit solidos IIII uel minus et sestarius siliginis solidos III uel minus sub pena solidorum II curie. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat terciam partem banni et teneatur priuata si fuerit bone fame:

75 # DE FORNARIIS.

ITEM statutum est quod quilibet fornarius debeat ducere furniglam (6) ad furnum sub pena denariorum vi quocies contrafecerit. et quod aliquis fornarius non possit capere de fornata ultra panes xii de fornata. et a fornata infra panes duos pro quolibet tabulo tenente sterium (7) unum grani sub pena solidorum x pro qualibet persona et qualibet uice. et quelibet persona possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento. et hoc teneatur obseruare iuramento et quod nullus fornarius portet uel portari faciat aliqua ligna a furno sub pena solidorum iii pro qualibet uice. et quelibet persona possit accusare contrafacientes et ei iuramento credatur et teneatur priuata. et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere et teneatur. et eamdem penam substineat quelibet persona que daret ultra quantitatem pro dicto fornatico. Et quod quilibet fornarius baennarum teneatur totum panem qui cochetur in furno ipsius duabus uicibus numerare siue crutum et coctum. et ad furnum presente domina uel domino panis et restituere tantum panem coctum quantus fuerit crudus. excepto et detracto pane fornatici. et restituere panem perditum ad furnum incontinenti et antequam alius panis coctus deportetur a furno. et si in hoc fornarius contrafecerit soluat pro pena solidos v quocies contrafecerit contra predicta. et nichilominus dominus uel domina dicti panis teneatur numerare dictum panem. et facere sibi restitui dictum panem perditum ad furnum ut dictum est. et accusare fornarium de predictis si predicta uel aliquod predictorum facere recussauerit sub eadem pena. et quelibet persona possit accusare personas contrafacientes contra predicta uel aliquod predictorum. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. et potestas teneatur facere iurare fornarios obseruare predicta. in principio sui regiminis.

76 DE POTESTATE ET SALARIO POTESTATIS.

ITEM statutum est quod aliquis potestas uel rector baennarum non possit habere salarium a comuni baennarum nisi steterit uel habitauerit in uilla baennarum cum familia sua. et si dictus potestas habitauerit in uilla et electus fuerit a comuni possit habere salarium usque in libras L et non ultra ipso habente et tenente continue unam caualcaturam in baennis. et quod aliquis potestas baennarum non possit refirmari in dicto regimine post finem sui regiminis in anno proximo sub sequenti aliquo modo uel ingenii subtilitate. et quod potestas teneatur facere fieri dictum conscilium postquam iurauerit regimen infra XV dies.

77 DE HIIS QUI INTELLIGUNTUR HABITATORES BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non sit nec intelligatur aliquo modo habitatrix baennarum. uel habitator nisi solueret fodrum et talias pro comuni baennarum. uel nisi esset in regesto dicti comunis exceptis (1) habentibus pactum cum comuni baennarum de fodro non soluendo comuni baennarum. et nisi habitauerit in baennis continue cum familia et cathena.

78 DE ELECTIS AD CONSCILIUM.

ITEM statutum est quod aliquis homo baennarum non sit nec esse debeat de aliquo partito conscilii nisi electus fuerit ad conscilium ab electoribus comunis. uel nisi ipsum conscilium iurauerit.

79 QUOD LIGNAMINA MATERIATA NON EXTRAHANTUR DE BAENNIS ET DE LIATURIS UINEARUM.

ITEM statutum est quod si aliquis duxerit uel portari fecerit aliquod lignamen uel lignamina aliqua materiata uel formatum uel non formatum de baennis. uel fine baennarum natum in finibus dicti loci. soluat pro pena quocies fecerit pro quolibet curru uel carruso solidos LX. Et si portauerit super equo uel mulo solidos X. et pro quolibet asino uel asina solidos VI. et si aliquis portauerit super dorsum solidos V. nisi esset aliquis extraneus qui haberet currum fractum qui possit facere ipsum aptari de lignamine dicti loci. et ipsum ad suam ducere uoluntatem. et nisi esset aliquis de baennis qui extraheret currum tabernam (2) uel alia instrumenta sibi neccessaria de quibus nullum bannum substineat. et hoc capitulum sit ad uoluntatem totius conscilii. uel maioris partis super danda licentia potestati. quod conscilium non possit nec debeat facere pulsari. nisi prius fuerit inde requisitus a X hominibus de conscilio. et tunc teneatur potestas facere dictum conscilium. et si aliquis duxerit aliquod lignamen in uilla baennarum quod non sit de fine baennarum possit ipsum extrahere iurando hoc fecisse. preter liaturas tinarum et carreriarum. et quod quilibet possit accusare et potestas possit inquirere. et qui extraxerit salices uel * ligaturas ex baennis soluat pro pena solidos LX soluenda de presenti nisi haberet licentiam a domino potestate et qui scaluauerit salices uel gurras alienas in uineis alicuius particulariter soluat solidos LX pro pena et totidem pro emenda et pro qualibet exportatione salicis uel gurre et pro qualibet ligatura solidos II et totidem pro emenda. (3)

80 DE NON DANDIS OXIDIBUS.

ITEM teneatur potestas suo posse deffendere comune et homines baennarum ne dent oxides pro comuni nec pro diuiso * (4) et hoc non possit remoueri ullo modo nec potestas possit de predictis recipere conscilium nec ponere in conscilio aliquo modo.

81 DE EMENDA EQUORUM POTESTATIS.

ITEM statutum est quod potestas non possit nec debeat petere nec habere aliquam emendam equorum nisi forent mortui pro comuni ad prelium cum gladio. nec dictam emendam recipere a dicto comuni possit. quousque existimati fuerint per homines bennarum nisi eos teneret pro comuni et seruicio comunis. et hoc si essent mortui gladio et in prelio ut dictum est.

82 DE MULIERE A PATRE DOTATA.

ITEM statutum est quod mulier que dotata uel maritata fuerit a patre uel a matre uel a fratribus. et habuerit dotem si habebit fratres uel masculos ab eis descendentes. non possit nec debeat petere partem aliquam in paterna uel materna hereditate. nec etiam potestas possit uel debeat eam uel eas in iudicio inde audire nec etiam rationem ei uel eis inde facere. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. Si uero remanserit post mortem patris uel matris aliqua neptis uel filia in domo que non esset nupta debeat maritari et dotari a fratribus aut ab eis descendentibus secundum facultates hereditatis paterne et materne. eo saluo quod si haberent filios uel filias ex diuersis uxoribus quod quelibet debeat succedere matri sue. et quod ipse mulieres possint petere et habere totum id quod relictum esset eis a patre matre et fratribus tempore mortis eorum uel ante. nec etiam dicta mulier postquam maritata fuerit ut supra non possit petere aliquid in hereditate fraterna dummodo in dicta domo essent aliqui masculi nati ex ipsis.

83 DE AMBAXIATORIBUS MITTENDIS PRO COMUNI ET SALARIO RATIONATORUM ET CAPITULATORUM.

ITEM statutum est quod ambaxiator comunis bennarum qui iuerit pedester habeat qualibet die a comuni pro suo salario solidos VIII. et qui equester iuerit habeat ambaxiator solidos XV in die et quilibet rationator habeat de qualibet ratione denarios VI et capitulatores habeant solidos III. et quilibet equus uel equa qui uel que duceretur in ambaxaria possit uel debeat emendari a comuni si moriretur uel mangagnaretur. (1)

84 QUOD MERCATA PALMITATA ATTENDANTUR.

ITEM statutum est quod quelibet persona que mercaretur uel mercatum fecerit cum aliqua alia persona de aliqua re qua palmitauerit uel dederit domini dei teneatur et debeat attendere dictum mercatum sub pena solidorum sexaginta curie et solidorum LX pro emenda illi cui uoluerit attendere dictum mercatum. et pena soluta nichilominus potestas teneatur facere attendi et obseruari dictum mercatum et pena totiens comitatur et soluatur quoties contrafactum fuerit. et idem obseruetur de cambiis inter aliquas personas factis. Et potestas teneatur inquirere quotiescumque requisitus fuerit. et quod nulla persona possit occasione alicuius mercati uel questionis inde dependentis non possit petere aliquam petitionem in scriptis sed teneatur respondere petitioni et contestari litem infra tertiam diem postquam petitio facta fuerit et postquam emptor obtulerit se paratum coram curia bennarum satisfacere uenditori de pretio rei palmitate seu uendite uel cambiate. et dictus uenditor teneatur facere instrumentum uenditionis uel cambij dicto emptori dicte rei sub pena predicta. Et eodem modo teneatur emptor satisfacere uenditori si dictus uenditor se obligauerit coram curia bennarum se paratum tradere rem dicto emptori et facere instrumentum uenditionis uel cambij.

85 ## DE SOLUENTIBUS FODRUM IN BENNIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona steterit uel habitauerit in uilla bennarum ultra annum teneatur et debeat soluere fodrum et alias condictiones bennarum pro quantitate bonorum sibi inuenitorum que quantitas sit ad minus solidorum LX et teneatur facere sequelas (1) potestati.

86 ## QUOD NULLUS HOMO BENNARUM POSSIT ESSE PROCURATOR EXTRANEE PERSONE.

ITEM statutum est quod nullus homo bennarum possit uel debeat esse procurator alicuius persone extranee. nec ad lites contra aliquam personam uel personas bennarum sub pena solidorum x pro qualibet uice qua contrafecerit. Et si aliqua persona de bennis aquireret aliquas rationes uel debita ab aliqua persona extranea eamdem penam substineat. et nichilominus ipsis iuribus petere possit seu uti. Et hoc intelligatur si aquireret iura uel actiones aliquorum debitorum. nisi essent ad dicta debita obligata. Et hoc capitulum locum habeat si aquireret iura predicta contra personas extraneas. nisi illa persona esset de tali loco siue terra. quod si aliquis uel aliqua de bennis uellet in dicto loco siue terra constituere procuratorem et posset ipsum constituere sine aliqua pena uel banno imposita uel imponenda domino uel procuratori. eodem modo dicta persona extranea possit constituere procuratorem in dicto loco bennarum.

87 ## DE CONZELIJS NON FACIENDIS. (2)

ITEM statutum est quod nulla persona extranea uel que non habitaret in bennis undecunque sit debeat facere aliquam conzeliam seu conzelias seu aliqua alia ingenia piscandi in fine bennarum lequi uel costamagne sub pena solidorum xx astensium pro qualibet persona quotiescumque fecerit. Et si qua persona extranea fecerit aliquod ingenium

piscandi in fine bennarum lequi uel costamagne illud debeat destruere et amouere seu destrui et amoueri facere hinc ad proximum festum pascatis. et pisces qui in dictis ingeniis infra dictum terminum capti fuerint aportare seu aportari facere teneatur in uillam bennarum et eos ibi uendere.

88 QUOD POTESTAS NON POSSIT EXPENSIS COMUNIS NUNTIOS MITTERE.

ITEM statutum est quod potestas non possit mittere aliquem nuntium expensis comunis bennarum absque uoluntate conscilij uel maioris partis uel sindicorum dicti comunis.

89 QUOD CAPITULA INTELLIGANTUR SALUIS IURIBUS ET HONORIBUS ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS. (3)

ITEM statutum est quod omnia capitula suprascripta uel infrascripta intelligantur et obseruentur saluis honoribus et iuribus illustrissimi principis et suis libertatibus et preceptis et capitulis ecclesie (4) et de maleficiis offensis de quibus pena in capitulis non continetur puniat potestas personaliter uel peccunialiter secundum ius et consuetudinem bonam bennarum. hoc tamen saluo et intellecto quod postquam capitula facta fuerint per capitulatores et confirmata per illustrissimum principem uel eius uicarium in principio regiminis non possit postea mutari cassari uel restringi in aliquo per potestatem uel eius locumtenentem durante illius potestatis regimine qui pro tempore fuerit.

90 DE RATIONE TALEE REDDENDA.

ITEM statutum est quod quilibet collector alicuius talee teneatur et debeat facere rationem de ipsa talea que sibi data fuerit ad colligendum infra mensem unum post terminum constitutum ad colligendam dictam

taleam. et si ita se non obtulerit potestati facere rationem uel conscilio bennarum infra dictum terminum soluat pro pena collector ipsius talee solidos x. et nichilominus si predicta non fecerit soluat pro qualibet die solidos III. et potestas teneatur dictam rationem rationatoribus comunis infra duos dies postquam fuerit requisitus facere fieri. et teneatur potestas facere legi et reddi rationem factam. sicut facta fuerit in conscilio bennarum. * et pacta inquirere iuxte posse. (1)

91 QUOD CONSTITUATUR QUI RESPONDEAT IN BENNIS PRO EXTRANEIS SUPER TALEIS.

ITEM statutum et ordinatum est quod quelibet persona non habitans continue cum familia sua in bennis que tamen sit in registro dicti loci teneatur facere et debeat et substinere ac ordinare in dicto loco aliquem de loco predicto procuratorem suum et loco sui ad soluendas talias que sibi imposite fuerint seu que sibi peruenerint ex taleis imponendis in futurum per homines bennarum ita quod ipsis extraneis non denuntietur ulterius aliquid de dictis taleis inponendis. et si illa talis persona extranea non soluerit suas talias imponendas ad terminum qui super hoc fuerit ordinatus soluat banna que super ipsis taleis excutiendis imposita fuerint. non obstante eo quod sibi non fuerit denunciatum de dictis taleis. ita quod nullam omnino possit pretendere ignorantiam et nichilominus collectores ipsarum taliarum teneantur et debeant uendere consortibus illius talis persone extranee. et etiam illarum personarum datarum pro malis debitoribus de possessionibus suis ex illis uidelicet quorum consortes fuerint scilicet uni consorti uel pluribus et inde habeant plenam bayliam (2). ac si comune bennarum hoc faceret. Et predicta omnia et singula ualeant et remoueri non possint ullo modo non obstante ullo iure uel statuto facto uel faciendo. Et quod potestas teneatur constringere consortes et debeat ad emendum dictas possessiones et soluendum taleas et penas et banna in quibus incidisset ille cuius esset possessio. saluo quod si ec-

clesia (3) esset consors dictorum malorum debitorum quod non possit dari consors dictis malis debitoribus sed alie persone que essent proximiores dictis malis debitoribus.

92 QUOD NON PRESTENTUR BOUES HOMINUM BENNARUM.

ITEM statutum est quod non possit fieri aliquod ordinamentum seu capitulum in bennis per conscilium dicti loci uel alio modo propter quod uel ex uigore alicuius persone habentes boues seu que in futurum habuerint in bennis compellantur uel cogi possint facere aliquod iornale uel carretum seu laborerium cum dictis bobus * alicui persone cuiuscumque conditionis existat nisi domino episcopo * (4) aliquo modo uel ingenio. et si forte factum fuerit ordinamentum uel capitulum in contrarium seu preconizatio uel bannum ullum positum contra formam dicti capituli sit quociescumque contrafactum fuerit ipso iure nullius ualoris. Et nichilominus si aliqua persona arengaret uel consuleret seu aliter suaderet quod prestarentur boues predicti uel quod fieret aliquod iornale uel carrezum seu laborerium contra predicta uel aliquod predictorum penam solidorum x incurrat quoties contrafecerit quod bannum soluere teneatur incontinenti. inde quod non possit fieri ulla deffensio uel peti ulla cognitio et quelibet persona possit inde accusare et ei credatur iuramento et teneatur priuata. et habeat tertiam partem banni exceptis propriis laborerijs comunis bennarum. et saluo capitulo facto in subsidium murantium.

93 DE TERMINO IN QUEM PROCEDENDUM ET PETENDUM EST POST SAXIMENTUM FACTUM.

ITEM statutum est quod si alicui persone habitatrici bennarum preceptum fuerit ex parte uel mandato potestatis uel eius locumtenentis ad instantiam alicuius persone quod saluum faciat uel teneat penes se aliquod mobile saxitum. illa persona ad cuius instantiam dictum preceptum factum

fuerit debeat et teneatur facere petitionem suam de iure quod petere uoluerit in dicta re uel mobili iure ordinario infra decem dies post diem dicti precepti alioquin ab inde ultra dictum preceptum uel saximentum nullius sit omnino ualoris.

94 DE PORCHERIJS ET UACHERIJS ET EORUM SALARIJS.

ITEM statutum est quod porcherij et uacherij comunis bennarum seu qui custodiuerint aliquas bestias porchinas uel bouinas ad loerium teneantur et debeant ipsas bestias custodire de marcio in martium pro salario seu loerio infrascripto. tali modo quod postquam persona aliqua cazauerit (1) bestias suas alicui predictorum pastorum non possit postea dicta persona infra dictum terminum auferre ipsas bestias pastori uel pastoribus cui uel quibus ipsas bestias cazauerit seu de custodia ipsorum causa faciendi eas custodire alij pastori qui non sit de familia ipsius persone. et si contrafecerit ei uel eis satisfacere teneatur de toto loerio ac si custodiuisset ipsas bestias ablatas de sua custodia usque in finem dicti termini. Alia occasione quam occasione eas faciendi custodiri alij pastori extraneo siue non familiari suo teneatur ipsa talis persona satisfacere dicto pastori uel pastoribus pro tanto tempore quanto dictas bestias custodiuerit. et non pro pluri. hoc intellecto quod si aliqua persona abstullerit dictis pastoribus aliquam uel aliquas bestias ex dictis bestijs eis datis ad custodiendum et cazauerit alias bestias totidem loco eorum dicti pastores teneantur eas custodire pro illo loerio pro quo custodiuissent alias bestias ablatas de custodia ipsorum ut dictum est. Et si aliquis uacharius mulserit alienam uacham soluat pro banno quociescumque fecerit solidos v. et quelibet possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et quod soluatur dictis pastoribus pro loerio dictarum bestiarum hoc modo. seu pro troia appupante tempore custodie dictorum pastorum eminam unam silliginis et pro quolibet alio porcho quarterium (2) unum silliginis et pro uacha appupante sestarium unum silliginis tempore dicte custodie et pro qualibet alia bestia non appupante eo tempore eminam unam silliginis. hoc intel-

tecto quod pro uitulo seu uayleta (3) appupante uacham seu bestiam que esset in dicta custodia sua nullus uacharius aliquod loerium habere debeat uel petere possit. Et soluatur dictis pastoribus de dictis salarijs siue de loerijs hoc modo. scilicet medietas ad sanctum laurentium et alia dimidia in fine termini. et si aliquis ex dictis pastoribus ultra dictum loerium acceperit uel petierit pro dictis bestijs custodiendis soluat pro banno solidum I quoties contrafecerit. et persona soluens dictis pastoribus ultra predicta eamdem penam incurrat et quelibet persona possit inde accussare et credatur accussationi sue et habeat tertiam partem banni et potestas teneatur facere preconizari super campanile bennarum in kalendis marcij qui uoluerint esse uacharij comunis faciant se scribi. quibus scriptis eligantur per conscilium qui ex ipsis utiliores et potentiores uidebuntur. (4). * siue duo uacharij in clapa (5) summa ripe. et in clapa castri * scilicet in quolibet quarterio seu roata unus. et quod quelibet persona teneatur facere custodiri suas uachas uacherio sui quarterij et non alijs qui non essent de eius familia sub pena solidi I pro qualibet bestia et nichilominus teneatur satisfacere dicto uacherio de salario custodie dictarum bestiarum secundum formam huius capituli. ac si custodiuisset eas et potestas possit super predictis inquirere et quod porcharij teneantur custodire porcellos natos in custodia ipsorum qui fuerint maioris temporis trium mensium siue porcellatam pro uno quarterio silliginis quanto tempore custodiant. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et quod liceat tribus personis et a tribus infra habere unum uacherium non obstantibus predictis. Et quod pastores qui fecerint se scribi in principio teneantur ire continue ad custodiam dictarum bestiarum sub pena solidorum x pro qualibet uice et potestas possit inde inquirere.

95 ## DE CUSTODIBUS PRIUATIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat tenere et habere scripta et in scriptis usque in finem sui regiminis nomina omnium custodum priuatorum electorum tempore sui regiminis ita quidem quod si

aliqua persona accusata per aliquem dictorum custodum priuatorum uel in formam custodis priuati requisiuerit ipsum potestatem uel eius locumtenentem quod faciat compellere coram eo illum qui dictam accusam fecerit. dictus potestas uel eius locumtenens teneatur hoc facere. et ipso accusatore in eius presentia constituto secreto teneatur inspicere in scripto in quo erunt scripta nomina dictorum custodum priuatorum si dictus accusator est de numero custodum priuatorum uel non. quo facto potestas teneatur inde dicere ueritatem persone accusate.

96 DE CONSCILIO ET CONSCILIJ MODO ET DE CONSCILIARIJS NON UENENTIBUS AD CONSCILIUM.

ITEM statutum est quod conscilium baennarum sit et esse debeat de LX hominibus (1) baennarum ita quod in dicto conscilio non possint esse plures uel pauciores quantitate predicta LX et quilibet ex dictis consiliarijs qui non ueniret ad conscilium antequam potestas fecerit proposita * (2) in conscilio et postea se assentauerit soluat pro pena qualibet uice denarios VI et si preconizatum fuerit dictum conscilium quilibet dictorum consciliariorum qui non uenerit ad dictum conscilium datum uel preconizatum secundum quantum supradictum est soluat pro pena solidum I quocies contrafecerit. Et predicta intelligantur obseruare debere si audiuerint pulsari dictum consilium uel preconizari et si fuerint intra uillam uel ayralia baennarum. non teneantur alioquin de pena. de quibus omnibus et singulis credatur cuilibet dictorum consciliariorum inde inculpato ad sui defensionem iuramento suo. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

97 DE POTESTATE UOLENTI IRE EXTRA UILLAM.

ITEM statutum est quod si potestas iuerit uel ire uoluerit extra uillam baennarum ad aliam terram uel locum teneatur et debeat dimittere loco sui cum uoluntate et consensu conscilij baennarum uel maioris partis

duos homines de baennis uel aliquem alium sufficientem de baennis qui iuret incontinenti exercere bona fide officium regiminis siue potestatis baennarum iuxta formam capitulorum et ordinamentorum dicti loci. et si dictus potestas aliquem uel aliquos loco sui in dicto regimine aliter quam predictum est dimisisset et non iurauerit ut predictum est omnia precepta omnesque processus qui uel que per ipsum uel ipsos facti et facta fuerint nullius ualoris et pro non factis habeantur. Et quod dictus potestas non possit iacere extra uillam baennarum ultra tres noctes continue absque consensu et licentia conscilij baennarum uel maioris partis. hoc intellecto et expresso quod ille uel illi quem uel quos dictus potestas loco sui in dicto regimine secundum formam huius capituli dimisisset nequeat dictum regimen exercere nisi quousque dictus potestas tunc reuersus fuerit et si contingeret dictum dominum potestatem subito aliquo casu necessario emergente ire oporteret extra uillam baennarum possit sua auctoritate dimittere loco sui in dicto regimine exercendo * (3) aliquem uel aliquos de baennis quem uel quos teneatur facere iurare exercere dictum regimen bona fide iuxta formam capitulorum et ordinamentorum baennarum quousque reversus fuerit

98 DE ORDINAMENTIS SIUE CONSCILIJS FACTIS.

ITEM statutum est quod aliqua ordinamenta siue conscilia facta uel celebrata per conscilium baennarum siue per homines dicti loci non ualeant nec teneant nisi illo anno siue regimine illius anni quo facta siue condita fuerint nec etiam cride.

99 AD CONSERUANDOS BOSCHOS ALLEUATOS GALLICIARUM ET GURRE.

ITEM statutum est quod potestas teneatur ad conseruandos boschos alleuatos facere elligi infra mensem unum postquam iurauerit re-

gimen et ordinari per duos homines sapientes ad hoc ellectos per ellectores comunis baennarum xx custodes priuatos qui teneantur iurare accusare omnes personas que ceperint uel boschauerint uel fecerint in dictis boschis contra formam capitulorum et ordinamentorum factorum uel faciendorum et possint et debeant accusare contrafacientes. ipsi. et quilibet ipsorum et ei iuramento credatur et habeat terciam partem banni et teneatur priuatus.

100 AD CONSERUANDOS BOSCHOS FINIS BAENNARUM A PERSONIS EXTRANEIS.

ITEM ad conseruandos boschos finis baennarum statutum est quod potestas teneatur facere elligi duos homines sapientes infra mensem unum postquam iurauerit regimen suum. qui sapientes teneantur iurare facere custodiri et saluari boschos iurisdictionis baennarum a personis extraneis et facere accusari personas extraneas que in dictis boschis offenderent uel fecerint contra formam capitulorum uel ordinamentorum et quod predicti electi habeant plenam bayliam mittendi de hominibus baennarum ad dictos boschos custodiendos et ad instantiam predictorum teneatur potestas precipere personis quas ei nominauerint predicti sapientes quod uadant ad custodiendos boschos predictos et quod accusent contrafacientes sub pena solidorum III pro quolibet. quam penam quelibet persona que contrafacerit incurrat.

101 DE DUCENDO AQUAM BEALIS (1) BAENNARUM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere duci continue aquam et de aqua bealis per rianas ruate platee. a domo odini de costamagna usque ad portam inferiorem pro sayuandis (2) ortis bergognie (3) et cuzee (4) et facere claudi et stopari fossata ayralium et alibi bealeriam bealis quod dicta aqua sufficiat pro molendinis (5) et pro dictis ortis sayuandis.

et quod dicta aqua dispensetur et distribuatur hoc modo in dictis ortis sayuandis uidelicet quod orti superiores bergognie a uia marenchorum supra habeant dictam aquam singulis diebus lune et martis. et a dicta uia infra orti habeant dictam aquam aliis duobus diebus sequentibus. siue die mercurij et die iouis. et quod alij orti cuzete habeant dictam aquam alijs duobus diebus. scilicet die ueneris et die sabati. ita tamen quod habentes dictos ortos cuzete habere debeant unam canalem ad portam inferiorem per quam ducatur aqua predicta dictis duobus diebus in ortos predictos. ita quod sepes et bealeria ortorum bergognie non strazentur (6) uel in aliquo modo dampnificentur pro dicta aqua ducenda in predictos ortos cuzee. et quod predicti orti superiores et inferiores habeant dictam aquam in diebus dominicis. Et quod aliqua persona non presumat strauiare stopare uel impedire in aliquo dictam aquam quominus non distribuatur et dispensetur sicut predictum est sub pena et bamno solidorum III pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice. Et habentes prata in dicta contrata teneantur contribuere ad dictam canalem.

102 DE CAPITULIS EXEMPLANDIS IN CARTA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere poni et exemplari omnia capitula baennarum in carta et manuteneri infra tres menses. postquam iurauerit. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et quod sindici uinculo iuramenti teneantur ut supra sicut potestas.

103 QUOD CONSTITUANTUR DUO SINDICI COMUNIS.

ITEM statutum est quod constituantur duo sindaci comunis generalis ad deffendendum et inquirendum iura comunis baennarum quocunque modo et cuiuslibet singularis persone baennarum pro quacunque causa tangenti comuni baennarum in aliquo. qui dicti sindici mutentur et mutari debeant de tribus in tribus mensibus et habeant pro salario solidos x.

pro quolibet. Et si per potestatem uel eius locumtenentem procederetur aliquo modo contra aliquam personam uel aliquas contra formam capitulorum uel ordinamentorum baennarum teneantur dicti sindici expensis comunis deffendere inde dictam personam et personas. Et quod dicti sindici teneantur uinculo iuramenti quotiescunque propositum esset in conscilio quod aliquid de comuni detur uel prestetur aliquo modo alicui persone arengare contra dictum propositum seu contra petitionem uel requisitionem factam in conscilio si hoc esset in aliquo preiudicio comunis. (1)

104 DE EMENDA NON FACIENDA EXTRANEE PERSONE. (2)

ITEM statutum est quod non fiat nec fieri possit aliqua emenda a comuni baennarum alicui persone que non soluat fodrum et taliam in baennis. et que non habitaret ibidem continue cum familia et catena alicuius dampni siue uasti ei facti in rebus suis in districtu baennarum uel alibi. Sed in isto casu et similibus persona huiusmodi pro extranea habeatur.

105 DE CLAUSULIS UILLE CUSTODIENDIS. (3)

ITEM statutum est quod quelibet persona habens aliquam domum. et que in futurum habuerit. uel alias possessiones iuxta stepas (4) clausule uille baennarum. teneatur ipsas stepas custodire et saluare quantum tenebit uel procedetur dicta sua possessio. Tali modo quod si aliqua uel alique ex dictis stepis capta uel capte fuerint ibidem. debeat dicta persona cuius fuerit possessio proximior loco ubi capte fuerint. accusare personam que dictam stepam uel stepas ceperit potestati baennarum. alioquin emendare dictas stepas uel stepam ablatam uel ablatas de suis propriis stepis. et aptare eas in loco ubi capte fuerint. sub pena solidorum II pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice. Et quelibet persona possit accusare contrafacientem et ei credatur iuramento. et habeat tertiam partem

banni. et teneatur priuata. et potestas possit et debeat inde inquirere. Et quod quum fiet sequela domino potestati teneatur quilibet homo a xv annis usque LXX iurare quod non capiet de clausuris uille baennarum nec de lignaminibus positis in pontibus siue planchis. uel in aliis locis comunibus. et accusare contrafacientes. (5)

106 DE PERSONIS QUE DEBENT DARE PRO PRECIO ALICUIUS REI ALTERI PERSONE.

ITEM statutum est quod si aliqua persona emit uel emerit aliquid ab aliqua persona. uel ipsi persone aliquid dare debuerit pro precio uel occasione alicuius rei sibi uendite. et dicta persona non soluerit ad terminum condempnationis. quod potestas post terminum condempnationis teneatur ad instantiam creditoris capere personaliter dictam personam condempnatam et detinere quo usque satisfecerit dicto creditori. Et hoc intelligatur si creditor fuerit de baennis.

107 DE NON PORTANDO CUTELLO ET HABENTIBUS INIMICITIAS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat portare in uilla baennarum aliquem cutellum maioris longitudinis unius pedis (6) excepto manubrio designato per potestatem in aliquo certo loco. uel aliquem alium gladium cuiuscunque generis sit. et qui contra fecerit soluat pro qualibet uice de die solidos x et de nocte solidos xx. et hoc non possit modo aliquo remoueri. Et si qua persona de baennis habet uel habuerit aliquas inimicitias graues cum aliqua persona de dicto loco. quod potestas teneatur facere satisdari bonis securitatibus a dictis personis siue partibus de non offendendo una pars alteri in uilla baennarum uel posse (7) nisi essent custodes uille baennarum uel nisi iret uel ueniret de extra uillam baennarum uel ad cridaforam stremitam uel rixam uel ignem. uel nisi esset aliquis qui redderet uel restitueret

aliquem gladium ei prestitum. uel qui ipsum acciperet. uel nisi ipsum gladium portaret ad amolandum (1) uel ad ferrerium pro aptando. nisi essent macellatores uel magistri manerie euntes cum gladiis pertinentibus ad eorum officia et in isto casu baculus non intelligatur gladius. Et si aliquis homo extraneus portauerit aliquem gladium excepto cutello. soluat pro pena solidos x. quocies contrafecerit. nisi haberet licentiam a conscilio baennarum qui securitas se obliget ad penam librarum L astensium soluendam si fuerit contrafactum ultra penas in capitulis contentas. et tantum ad maiorem et minorem penam quantum ordinauerint dominus potestas uel x sapientes ad hoc electi nichil attinentes dictis partibus. Et quousque dictas securitates prestiterint non possit aliqua persona de dictis partibus exire domum suam sub pena predicta pro qualibet uice:

108 QUOD GRANUM DE FINE LEQUI DUCATUR IN BAENNIS.

ITEM statutum est quod quilibet qui habet terras et possessiones in fine lequi teneatur et debeat ducere uel duci facere granum quod fuerit in predictis possessionibus in uillam baennarum. Et qui contrafecerit soluat pro pena pro qualibet carrata solidos LX et pro asinata solidos XX. et qui portaret super dorsum solidos V. et amittat granum. et quilibet homo bone fame possit accusare contrafacientes et credatur accusationi sue et habeat tertiam partem banni.

109 DE TERRA NON CAPIENDA PER UIAM CANALETE.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat cauare uel capere aliquam terram in uia publica que uadit uersus crucem canalete a beali sen ayrali ursorum usque ad monetam. sub pena solidorum III pro qualibet persona quocienscumque contrafecerit. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento suo credatur.

110 QUOD LABORATORES NICHIL PORTENT DE UINEIS.

ITEM statutum est quod aliquis laborator qui laborauerit ad loerium in uinea alicuius non possit nec debeat capere seu aportare de ipsa uinea aliqua ligna seu aliquid aliud quod esset de dicta uinea sub pena solidorum III. pro quolibet quocies contrafecerit. et quelibet persona possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento. et potestas teneatur inquirere et eius familia accusare. et eis iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni.

111 QUOD NULLA PERSONA CAPIAT SARMENTAS UEL ALIQUA ALIA IN UINEIS ALIENIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat capere in alienis uineis aliquas sarmentas seu uites. uel aliqua alia ligna. sub pena solidorum X et totidem pro emenda pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et potestas teneatur inquirere et eius familia accusare.

112 DE FENO NON EXTRAENDO EXTRA FINES BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non habitans seu que in futurum non habitauerit in baennis continue cum foco et cum familia sua. habens seu que in futurum habuerit aliquod pratum siue gerbum (2) in fine lequi et costemagne iurisdictione baennarum teneatur et debeat ducere uel duci facere uel consignare potestati baennarum totum fenum quod in dicto prato seu gerbo fuerit uel prouenerit in ayralia baennarum sub pena solidorum LX pro qualibet persona contrafaciente. ita quidem quod consignato et ducto dicto feno ut predictum est. non possit nec debeat postea extrahi dictum fenum per aliquam per-

sonam de dictis ayralibus ante festum natalem domini proximi subsequentis sub eadem pena. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inquirere.

113 QUOD NEMO STET IN TABERNA POST ULTIMAM CAMPANAM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona inuenta fuerit in taberna aliqua baennarum. siue in aliqua domo uel loco in quo uendetur uinum ad minutum post ultimam campanam. nisi esset persona uendens dictum uinum uel de eius familia. uel hospes extraneus. qui ibi cubare deberet. soluat pro banno pro qualibet persona quocies contrafecerit solidos III. et tabernarius soluat pro banno totidem. hoc saluo quod potestas uel eius locum tenens possit dare licentiam inde alicui persone uel personis occasione cenandi ibidem. si inde fuerit requisitus. Et potestas et familiares eius et quilibet ipsorum possint inde accusare et eis credatur.

114 DE CUSTODIBUS PRIUATIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere poni et ordinari LX custodes priuatos de quolibet quarterio XV. quos custodes ponere et facere iurare * teneantur duo homines ad hoc electi per electores * (1) comunis baennarum. et possint et debeant accusare. et locum habeant de anno in annum * uidelicet in ayralibus et in ortis de bropis (2) et generaliter in omnibus clausuris et in omnibus arboribus domesticis et salicibus. * et credatur accusationibus eorum. et habeant tertiam partem banni. et quod potestas teneatur facere poni et ordinari infra mensem postquam iurauerit sexaginta custodes priuatos. et quod dicti custodes iurent accusare omnes personas et bestias quas uidebunt dantes dampnum in alienis rebus et eorum accusationibus credatur.

115 ## QUOD CAMPARII TENEANTUR IRE AD EORUM CAMPARIAS.

ITEM statutum est quod quilibet qui fuerit electus uel constitutus camparius comunis baennarum seu iurauerit aliquam campariam comunis baennarum. teneatur et debeat omni die ire continue ad dictam campariam exercendam toto tempore quo debuerit esse camparius sub pena solidorum III pro quolibet contrafaciente et quolibet die. Et quod nullus ex dictis campariis laboret uel laborare possit aliquid ad suum opus proprium nec alienum opus. nisi tantum dictam campariam exercere sub eadem pena. et quilibet homo bone fame possit accusare contrafacientem. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et quod nullus camparius possit durante prime camparie habere officium alicuius alterius camparie.

116 ## DE NON EUNDO PER ALIENUM PRATUM TERRAM UINEAM UEL AUTINUM. (3)

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ire nec uiam facere cum carro carrusso (4) lezia (5) siue plouo per pratum siue per terram alienum uel alienam imbrauatam (6) si poterit ire per alium locum uel uiam comunem. et nisi haberet ius et uiam eundi et redeundi per dictum pratum siue terram. Et qui contrafecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos II curie et solidos II pro emenda illi cui dampnum fuerit. et quilibet possit accusare. et iuramento credatur accusationi sue. Et quod quelibet persona que iuerit seu uiam fecerit per alienam uineam seu autinum soluat pro pena et banno solidos III. et totidem pro emenda illis cuius fuerit dampnum. nisi haberet ius eundi ut supra dictum est. et quelibet persona possit inde accusare. ut supra dictum est. et potestas possit inde inquirere. **et si fuerit bestia cauallina soluat pro qualibet bestia inuenta in prato solidum I et totidem pro emenda et in messibus solidos II. (7)**

117 ## DE IGNE NON PONENDO IN NEMORIBUS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona possuerit ignem in boschis comunibus et alienis bannitis soluat pro banno quocies fecerit solidos LX. et totidem pro emenda * preter in cessiis (1) propriis uel comunibus que essent in agris uineis uel uiis. de quibus nullum bannum soluatur * (2) et potestas teneatur facere iurare omnes berbiarios (3) non ponere ignem in dictis boschis et accusare quoscunque uiderint ponere dictum ignem et quelibet persona bone fame possit accusare contrafacientes et ei credatur iuramento et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. eo saluo quod si ille ignis non ullum dampnum fecerit nullam penam incurrat:

118 ## DE BROPIS NON AUFFERENDIS.

ITEM statutum est quod aliquis non debeat capere uel auferre bropas uinearum autinorum uel plantarum alienas. et qui contrafecerit soluat pro pena quocies contrafecerit de alienis ueteribus solidos x curie et totidem pro emenda. et quilibet possit accusare de suo dampno et credatur accusationi sue. et qui acceperit unam bropam solam * nullam penam incurrat * (4) et quelibet persona possit accusare tam de suo dampno. quam de alieno. et ei iuramento credatur. et potestas possit inquirere. et de bropis nouis soluatur pro pena solidos xx curie et totidem pro emenda et quod pater et mater teneantur soluere bannum et emendam pro filiis suis.

119 ## DE CANABO SALUANDO.

ITEM statutum est quod canabum ubicunque sit in posse baennarum saluum permaneat. et si aliqua persona de dicto canabo ceperit usque ad mediam ristam soluat pro pena solidos v. et si usque ad unam ristam et ultra ceperit. usque ad unum faxem soluat solidos x. et si ultra unum faxem

ceperit soluat solidos xx pro banno. et dampnum restituat illi cuius erit canabum. et quilibet possit accusare facientes contra predicta. et ei credatur cum iuramento et de carrata puniatur tamquam de maleficio.

120 DE ACCUSATIS INDEBITE PER CAMPARIUM COMUNIS. (5)

ITEM statutum est quod quilibet qui accusatus fuerit per camparium comunis. et se poterit defendere. uel dictum camparium reprobare per duos legitimos testes de dicta accusatione et banno sit penitus absolutus. et camparius qui accusauerit soluat pro banno solidos x curie quocies fecerit. Et si non haberet unde solueret penam ponatur ad pellerinum (6) et ibi permaneat per tertiam partem diei. uel plus. et non possit nec debeat magis in toto tempore uite sue aliquod officium comunis habere aliquo modo.

121 DE EUNTIBUS PRO MAGLOLIIS (7) IN ALIENIS UINEIS.

ITEM statutum est quod si quis iuerit intra alienas uineas pro magloliis uel pro prouanis (8) uel uitibus capiendis absque uoluntate domini uinee. soluat pro pena quocies fecerit solidos xx curie et totidem pro emenda. Eamdem penam substineat qui ceperit alibi quam in uineis alienas uites. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni.

122 DE LIATURIS UINEARUM NON CAPIENDIS.

ITEM statutum est quod si aliquis ceperit liaturas siue salices in uineis siue autinis in fine baennarum * a festo sancti michaelis usque ad sanctam mariam candelariam * (9) soluat pro pena quocies fecerit solidos x curie et totidem pro emenda. preter liaturas uegetum quas possit accipere in suis et in comunibus- et camparii et custodes priuati accusare teneantur

potestati uel suo nuncio contrafacientes. et eis et cuilibet ipsorum credatur de predictis. et quelibet persona possit inde accusare et ei credatur iuramento.

123 De cauezagna facienda (1)

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat arare nec laborare aliquam terram que aretur. uel uadat arando uersus aliquod pratum uel terram imbrauatam messe uel aliquo blado uel marzengo nato. que tamen choereat ipsi prato uel terre imbrauate (nisi) (2) fecerit uel arauerit cauezagnam de uersus dictum pratum et terram predictam amplam xii sulcibus ad minus. sub pena solidorum iii curie et totidem pro emenda illi cuius dampnum fuerit. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

124 Quod non ronchetur in defexio

Item statutum est quod nemo possit ronchare uel strepare occasione ronchandi in defexio lequi. et baennarum nec in gateria (3) sicut uadit mondalauia (4) a gateria. usque ad boschum monasterii narzolearum sicut stant et uadunt ripe mondalauie. a fundo aque mundalauie usque ad cimam defexii predicti et gaterie predicte et infra dictam cimam in aliquo loco. Et qui contra fecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos xx curie et solidos xx comuni pro emenda. pro quolibet et qualibet uice. et nichilominus quod esset ronchatum laboratum uel strepatum remaneat et remanere debeat penitus comuni. et quod potestas qui pro tempore fuerit non possit ponere uel poni facere in conscilio quod ronchetur. et si potestas uel locum tenens poneret uel poni faceret amittat de suo salario libras x.

125 DE NON INCIDENDO ALIQUAM CESSIAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona que inciderit uel ceperit aliquam cessiam. uel clausuram. que erit in clausura alicuius uince aliene siue orti prati uel campi alicubi in fine baennarum. et lequi et costemagne. soluat pro pena solidos v curie et totidem pro emenda quocies fecerit passo dampno.

126 DE PORCIS NON DUCENDIS TEMPORE UINDIMEARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ducere aliquos porcos tempore uindimearum quousque uinee fuerint uindimeate a uilla baennarum inferius. nec a uia sarmatorii inferius. nec a strata uersus uineas coste. nec a uia costemagne inferius. et qui contra fecerit soluat pro pena pro quolibet pastore solidos III quocies contra fecerit et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

127 DE PORCIS NON DUCENDIS PROPE BEALE

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ducere porcos aliquos aliquo tempore prope beale. ab utraque parte bealis per unam tornam (5) terre. et qui contra fecerit soluat pro pena pro quolibet pastore uel custode solidos v quocies contra fecerit. et hoc intelligatur a brayda (6) presbiterorum supra. et quilibet possit accusare cum iuramento suo. et ei credatur. et habeat tertiam partem banni. Eodem modo familiares potestatis posssint accusare et eis et cuilibet ipsorum credatur.

128 DE EXTRANEO INUENTO IN BOSCHIS COMUNIS

ITEM statutum est quod quelibet persona extranea inuenta uel uissa in aliquo boscho comunis baennarum. uel hominum. seu alicuius hominis

de baennis boscando uel incidendo uel carreando. uel amassando. uel ligando. uel aliter offendendo. uel cum aliquibus bestiis. uel carosiis. uel leziis portando de uel exeundo de aliquibus dictorum boschorum uel portando soluat pro pena pro qualibet uice solidos LX et totidem pro emenda pro qualibet persona. Et quilibet homo bone fame possit accusare contrafacientes. et habeat tertiam partem banni. et credatur ei cum iuramento. saluis et exceptis omnibus illis qui ducerent uel portarent in uillam baennarum aliqua ligna sicca. uel uirida capta in boschis non bannitis hominibus de baennis. Et si qua persona extranea inuenta fuerit uel uissa ducendo uel portando aliqua ligna uersus foxanum caruchum plocium tanagrum narzoleas. uel claraschum. eamdem penam incurrat solidorum XX et totidem pro emenda. et quilibet homo bone fame possit accusare contrafacientem. Et habeat tertiam partem banni. et credatur accusationi sue. saluis et exceptis illis personis que ducerent uel portarent ligna non capta in fine baennarum. Et de nocte dicte pene duplicentur. hoc saluo quod extranei qui ducerent ligna predicta in uilla baennarum puniantur ad modum hominum de baennis et non ultra.

129 QUOD PORCI NON INTRENT PRATA.

ITEM statutum est quod porci nullo modo nec nullo tempore intrent prata. et si intrauerint. soluat dominus porcorum pro quolibet porco denarios XII. et totidem pro emenda et nichilominus teneatur dampnum emendare. si ultra excesserit illi cuius dampnum fuerit. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata.

130 DE METENTIBUS IN ALIENO PRATO.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit metere in alieno prato. et qui contrafecerit soluat pro banno solidos III curie et totidem

pro emenda. passo dampno pro qualibet uice. Et nichilominus si dampnum ultra dictam quantitatem excesserit emendet dampnum. Et quelibet persona possit inde accusare et credatur ei iuramento.

131 DE EODEM ET DE SECANDO IN ALIENO PRATO.

ITEM statutum est quod si aliqua persona secauerit in alieno prato soluat pro pena pro qualibet seeta (1) solidos v curie et totidem pro emenda. pro qualibet seeta. et nichilominus dampnum restituere teneatur. et quilibet possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento. nisi hoc fieret in falla. seu per ignorantiam de quo credatur ei iuramento suo. si hoc iurare noluerit ille qui illam fallam fecisset et dampnum integraliter restituere teneatur illi cuius pratum erit.

132 DE CAPIENTIBUS FENUM ALIENUM SEU HERBAM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona ceperit de alieno feno siue de herba aliena in setis soluat pro pena de brazata (2) solidos III curie et totidem pro emenda. et quilibet possit accusare contrafacientem. et credatur accusationi sue iuramento. et nichilominus si dampnum excesserit ultra illam quantitatem restituere teneatur illi cuius dampnum fuerit.

133 DE CAPIENTIBUS ALIENUM FENUM IN MUGIS (3)

ITEM statutum est quod si aliquis ceperit de alieno feno in mugis in prato. soluat pro pena de brazata solidos III curie. et totidem pro emenda. et de faxe et a faxe supra usque in carretam solidos x curie et totidem pro emenda. et de carreta solidos xxx. et totidem pro emenda. Et nichilominus dampnum integraliter restituere teneatur illi cuius fenum fuerit in illam quantitatem quam iurare uoluerit quod ualeret. Et quelibet

persona possit accusare et credatur accusationi sue iuramento suo. et de nocte dicte pene duplicentur et accusator habeat tertiam partem banni.

134 DE INTRANTIBUS ALIENUM ORTUM ET DE BESTIIS GROSSIS PORCIS ET CAPRIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit intrare alienum ortum. et qui contrafecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos v curie. et solidos v pro emenda illi cuius erit dictus ortus. et si in eo aliquid ceperit. eamdem penam substineat. et nichilominus dampnum restituere teneatur. et quilibet possit accusare. et ei credatur accusationi sue iuramento. et si aliqua bestia grossa uel porcina uel caprina fuerit in alieno orto inuenta uel uissa soluat pro pena. pro qualibet bestia denarios VI. pro dampno. et totidem pro emenda. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et persona accusans teneatur priuata de omnibus predictis.

135 QUOD DIES ET HORA. ET CONTRATA IN ACCUSA CONTINEANTUR.

ITEM statutum est quod in qualibet accusa que fiet in baennis contineri debeat dies. et hora diei. et contrata loci in quibus dampnum factum fuerit. uel de quo accusa facta fuerit. alioquin accusa in qua omnia predicta non continebuntur sit nullius omnino ualoris. Exceptis de maleficiis.

136 QUOD EXTRANEI NON CAPIANT HERBAM NEC FENUM IN FINE LEQUI.

ITEM statutum est quod si aliqua persona extranea ceperit uel messuerit erbam uel fenum in aliquo prato alieno in fine lequi uel costamagne. alicubi. soluat pro banno si ceperit herbam uel messuerit de quo-

8

libet faxe et a faxe infra solidos v et totidem pro emenda pro qualibet persona. Et si ceperit de alieno feno soluat de brazata feni et a brazata infra solidos v et totidem pro emenda. et a brazata supra usque in faxem hominis soluat pro banno solidos v et totidem pro emenda. et a faxe hominis supra soluat pro pena solidos LX et totidem pro emenda. Et quelibet persona possit inde accusare. et credatur accusationi iuramento suo. et habeat tertiam partem banni.

137 QUOD EXTRANEI NIHIL ACQUIRANT IN FINE LEQUI UEL COSTEMAGNE.

ITEM statutum est quod aliqua persona extranea undecunque sit non possit emere. uel aliquo alio titulo acquirere aliquas possessiones in posse uel iurisdictione baennarum aliquo modo uel ingenio. et persona que contrafecerit perdat rem quam aquisiuerit. ita quod dicta res consignetur et aplicetur curie baennarum. Et persona a qua dicta res fuerit aquisita soluat pro pena libras x. quocies contrafecerit. et quelibet persona possit inde accusare et credatur eius accusationi iuramento. et nichilominus possit potestas et teneatur super predictis inquirere ad suam uoluntatem aliquo capitulo facto uel faciendo in contrarium non obstante. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. Et quod si aliqua persona de baennis aquireret seu emeret pro aliqua persona extranea et licet inde fieret instrumentum suo proprio nomine et reperiri posset in hiis comisisse fraudem. eamdem penam substineat. Et quod potestas teneatur et debeat inde inquirere ad minus semel in anno uinculo iuramenti de mense martii (1) et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

138 DE ELIGENDIS CAMPARIIS.

ITEM statutum est quod nullus possit eligi constitui uel ordinari dici uel reputari camparius baennarum. nec iurare uel exercere aliquod

officium alicuius camparie in baennis nisi fuerit electus constitutus et ordinatus camparius per conscilium baennarum. seu auctoritate et uoluntate dicti consilii uel maioris partis. saluis campariis domini episcopi (1) quibus credatur et eorum accusis. ac si constituti et ordinati fuissent per ipsum conscilium.

139 DE NON IMPEDIENDO UIAM QUE UADIT PER CIMAM UINEARUM.

ITEM statutum est quod quelibet persona que possuerit aliquos lapides siue aliquod aliud impedimentum. uel in futurum possuerit. a cuzea a muntata tane. (2) uel a muntata truchi usque ad senterium nouelli. alicubi in uia publica qua itur per cimam uinearum siue in aliquibus aliis uiis publicis siue acumque sint. in fine baennarum. lequi uel costemagne. teneatur et debeat dictos lapides. et impedimentum auferre. et amouere de dictis uiis. et desuper comuni. secundum et eo modo et forma quo et qua ordinatum examinatum dictum et pronunciatum fuerit per IIII massarios ad hoc electos et secundum quod eisdem IIII ad hoc electis melius uidebitur expedire. qui IIII iurare teneantur in predictis exercere predictum officium bona fide. et predicta expedire teneatur quelibet persona cui denunciatum fuerit. infra terminum quod predicti IIII massarii duxerint ordinandum. sub pena solidorum x. tali modo quod expeditis uiis et comunibus secundum quod predictum est nulla persona post modum possit ea uel eas impedire sub eadem pena.

140 DE FACIENTIBUS PANEM AD UENDENDUM.

ITEM statutum est quod quelibet bolengheria (3) et quelibet alia persona uolens facere panem ad uendendum. et uolens reuendere uinum ad minutum non possit uendere panem nisi secundum stantiam (4) sibi datam per stanciatores comunis excepto breno (5) et instar̄. ultra solidum I.

sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contra fecerit. et stanciatores teneantur iuramento recercare omni edomada. semel ad minus omnes pintas (6) et panem factum ad uendendum totum. cum aliquo nuncio potestatis. Et accusare omnes personas que iniustam pintam uel mensuram. uel panem minoris ponderis habuerint uel dederint. Et nichilominus totus panis qui repertus fuerit minoris ponderis. pondere eis dato per stanciatores perdatur et perueniat dimidia potestati. et reliqua dimidia stanciatoribus. Et quod totus panis qui fiet ad uendendum debeat signari a bolengheriis signo eis dato a stanciatoribus. et si qua persona uendiderit panem non signatum signo predicto soluat pro pena qualibet uice solidos III et amittat dictum panem. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni.

141 QUOD UINUM UENDATUR AD PINTAM.

ITEM statutum et ordinatum est quod in baennis uinum uendatur ad pintam ad quam uenditur in ast. uel in clarascho. ita quod pinta sit tanta siue ita magna sicut est pinta astensis uel claraschensis. Et quilibet de baennis possit uendere pintam uini quantum uoluerit. Et postquam cridari fecerit uinum siue pintam pro certo pretio. pro eodem pretio. quousque uinum uenditum fuerit. pintam uendere teneatur. et teneatur mensurare tabernarius ad pintam uel mensuram partis pinte cuilibet persone. sub pena solidorum III. pro qualibet uice. Et stantiatores comunis habeant dictam pintam. et ipsam pintam dictis tabernariis dare teneantur. Et hoc capitulum locum habeat in illis personis que uendunt ad minutum de proprio uino. et non de aliis in eo quod possint uendere pintam quantum uoluerint.

142 DE EODEM.

ITEM statutum est quod aliqua persona que uendiderit uinum ad minutum in baennis non possit uendere ipsum uinum ad minutum nisi

ad pintam uel mensuram partis pinte. et nisi ipsa pinta et mensure partis pinte fuerint de uitreo. uel de terra. et tales quod mensuretur ad ipsas ad rasum (1) et non aliter et quelibet persona que contra fecerit soluat pro pena pro qualibet uice solidos III et teneantur uenditores dicti uini mensurare dictas pintas et partes pinte in presentia et pre oculis bibitorum et emptorum ipsius uini sub eadem pena pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice. Et quelibet persona possit inde accusare contra facientem et ei credatur iuramento. et habeat tertiam partem banni.

143 DE CAMPARIIS. (2)

ITEM statutum est quod aliquis camparius non debeat intrare aliquam tabernam causa bibendi nec comedendi. nec in aliquo loco ubi uendatur uinum ad minutum possit bibere uel comedere. sub pena solidorum II. pro qualibet uice et pro quolibet campario quocies contrafecerit. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur si fuerit bone fame. Et potestas teneatur facere iurare quemlibet camparium attendere et obseruare predicta.

144 DE INCIDENDIS ARBORIBUS DOMESTICIS SUPER COMUNI.

ITEM statutum est quod nulla persona possit uel debeat incidere uel scaruare aliquam arborem piri uel meyle castanee sorbe nucis ficus persici alicubi in fine baennarum lequi et costemagne super comuni sub pena solidorum III curie et totidem pro emenda comuni. pro qualibet persona et qualibet uice. et quelibet persona possit inde accusare. et ei credatur et habeat tertiam partem banni. Et quod potestas possit inquirere de arboribus domesticis.

145 QUOD LIGNA NON DUCANTUR CAMPARIIS.

ITEM statutum est quod nulla persona possit ducere nec menare seu duci uel menari facere cum bobus uel aliis bestiis aliquo modo uel ingenio aliqua ligna uel lignamina alicui qui sit camparius baennarum quamdiu fuerit camparius sub pena solidorum x pro qualibet persona quocies contrafecerit. nisi ipsa ligna uel lignamina capta et incissa fuissent in aliquo proprio bosco ipsius camparii uel extra iurisdictiones baennarum. in quo casu credatur inde cuilibet persone accusate proprio iuramento et cum uno teste. aliter non. Et quelibet persona possit accusare contrafacientem cum iuramento et ei credatur et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. Et hoc intelligatur nisi dicta ligna forte duceret cum bestiis eiusdem camparii.

146 QUOD HOMINES BAENNARUM SE IUUARE DEBEANT AD INUICEM.

ITEM statutum est quod quilibet homo de baennis uel habitans in uilla baennarum teneatur et debeat iuuare quemlibet alium hominem totis uiribus et omnibus uicibus et modis. et se succurrere ubicumque fuerit contra inimicos comunis et hominum baennarum et qui contrafecerit soluat pro banno solidos xx.

Hec est collatio (1) secunda. uidelicet de omnibus maleficiis que fient in posse baennarum ut infra continetur.

147 De uerbis iniuriossis.

Item statutum est quod persona que dixerit alicui persone baennarum uel habitanti irato animo traditorem latronem cucurbitam periurum falsum malum licatorem uel eum dismentiuerit uel aliquid aliud simile uerbum iniuriosum soluat pro pena quocies dixerit uel aliquid predictorum solidos x. hoc intellecto. qui prius inceperit dicta uerba iniuriossa. saluo si predicte persone habitauerint in una domo ad unum panem et uinum. nec etiam si simul non habitauerint dummodo non dicant illa uerba nisi causa castigandi et corrigendi. predicti ad eandem penam non teneantur.

148 De insultu et gladio non extraendo.

Item statutum est ad exemplum et malaficia punienda fuit super maleficiis ut infra firmiter stabilitum ac etiam ordinatum est. quod si aliquis baennarum extraxerit cutellum uel aliquem alium gladium ferreum seu insultum fecerit uersus aliquem de baennis. uel habitatorem baennarum malo modo uel irato animo dabit pro pena solidos xx astenses. nisi hoc fecerit se deffendendo. Et nisi essent de una familia stantes ad eumdem panem et uinum. et nisi esset filius filia frater et soror uel pater alicuius. maritus et uxor auunculus uel amita stantes etiam in una domo ad unum panem et uinum. qui de predicta pena inter se non teneantur.

149 ## DE PERCUSSIONIBUS ET FERUTIS.

ITEM statutum est quod si aliquis uel aliqua de baennis percusserit aliquem uel aliquam irato animo pugno baculo uel palma in capite uel maxilla a collo superius. uel ipsum ceperit per capillos. et sanguis non exiuerit soluat pro pena solidos LX astenses. * si percussor soluerit fodrum in baennis de libra uel ultra. et si a libris xx infra usque in libras x solidos XL et a libra inferius solidos xx. * (2) si autem a collo inferius ipsum percusserit . uel eum bussauerit uel manum irato animo in eum iniecerit uei ei lacerauerit cauezanam (3) soluat pro pena solidos xxx astenses * si percussus dabit fodrum comuni de libris xx uel ultra et a libris xx infra usque in libras x soluat pro pena solidos xx et a libra inferius soluat pro pena solidos x * (4) nisi essent suprascripte persone. idest pater mater frater et soror maritus uxor auunculus uel amita stantes in una domo ad unum panem et uinum. qui de dicta pena non teneantur. et nisi fecerit se deffendendo. et quod supradicti pater frater et soror et alii suprascripti non teneantur de dicta pena. si percuterent se sine gladio ferreo. uel ceteris aliis armis.

150 ## DE FERUTIS.

ITEM si aliqua persona habitans in baennis percusserit aliquem uel aliquam personam habitantem in baennis baculo. cutello. lancea. spata. lapide. seu aliquo alio gladio. quod deus auertat unde sanguis exiuerit. soluat pro pena solidos c astenses. et si percussus ex ipsa percussione amitteret aliquod membrum. uidelicet pedem manum brachium nassum occulum uel occulos. soluat pro pena libras x. (5) **et totidem pro emenda illi qui amitteret membrum et hoc intelligatur si fiegerit os capitis.** si autem percusserit ipsum in corpore ita quod gladius intestina intraret uel ei os capitis frangeret soluat pro pena libras xxv. si autem sanguis non exiuerit ex ipsa percussione. soluat pro pena ut in precedenti capitulo continetur. nisi percussus et per-

cutiens essent de una familia stantes ad eundem panem et uinum. uel nisi esset seruiens eius. hoc intellecto. quod si seruiens non fecerit querimoniam de domino. et si fecerit tunc dominus puniatur ut in capitulo continetur. filius autem frater et filia maritus et uxor patruus auunculus nepos uel consanguineus germanus simul habitantes ut predictum est de predicta pena non teneantur. si uero simul non starent predicte persone. et percuterent se causa separandi et diuidendi rixam que inter ipsos orietur uel oriri posset uel causa castigandi in quibus cassibus etiam de pena non teneantur. Et si percutiens non haberet unde solueret dictum bannum amittat pedem uel manum. si potestas eum habere poterit. et nisi fecerit se deffendendo. in hoc casu non teneatur de pena. Eo saluo quod si filius percuteret patrem uel matrem. seu patri uel matri iniuriam aliquam dixerit uel fecerit. quod tunc puniatur arbitrio domini episcopi (1) uel eius uicarii. (2).

151 DE HOMICIDIO.

ITEM statutum est et ordinatum quod si aliquis habitator baennarum interfecerit aliquem habitatorem. quod deus auertat quod moriatur si haberi poterit nisi fecerit se deffendendo. et nisi esset de forestatis (3) et bannitis (4) comunis baennarum de quibus nulla pena soluatur. Et ille qui interfecerit alium ut supra dictum est si haberi non poterit sit perpetue bannitus et forestatus de uilla baennarum. et amittat de suo libras centum. ita quod non possit reuerti ullo tempore in uillam predictam. Et quandocumque haberi posset quod moriatur. Et aliquis non intelligatur habitator baennarum nisi staret cum tota sua familia in baennis et faceret condiciones in dicta uilla. sicut habitatores faciunt. et nisi esset interfectus oriundus baennarum uel filius eius. exceptatis inde dominis et habentibus pactum cum comuni de non soluendo fodro. et saluo quod si percutiens aliquem interfecerit incogitate seu improuisse soluat pro banno libras xxv astenses. et si dictam penam soluere non poterit amittat oculum uel pedem

aut manum arbitrio potestatis. secundum qualitatem facti et conditionem personarum interficientis et interfecti. et nisi esset interfectus oriundus baennarum. uel filius eius qui esset natus de dicta terra.

152 DE EXTRANEO QUI EXTRAXERIT GLADIUM.

ITEM homo seu persona. qui non sit habitator baennarum. percusserit aliquem habitatorem. uel habitantem in baennis pugno palma uel calce. seu acceperit per capillos. uel eum irato animo bussauerit uel lacerauerit ei cauezanam soluat pro pena libras x astenses. et si dictam penam soluere non posset uel nollet. amittat pedem uel manum uel auriculam arbitrio percutientis. si potestas eum habere poterit. Et idem intelligatur si manum in eum irato animo modo aliquo iniecerit. et si se concordauerint remittatur ei dicta pena. pro medietate quantum ad penam peccunialem.

153 DE EXTRANEO PERCUTIENTE ALIQUEM DE BAENNIS.

ITEM omnis persona que non sit habitatrix baennarum. si percusserit aliquem habitatorem baennarum uel aliam personam ibi habitantem cutello spata uel aliquo alio gladio unde sanguis non exeat det pro pena libras x astenses et si dictam penam soluere non posset uel nollet amittat pedem uel manum. et si sanguis exiuerit soluat pro pena libras xxv. et si soluere non posset amittat pedem uel manum. et si aliquis qui non sit habitator baennarum habitatorem baennarum interfecerit moriatur. et idem intelligatur si percusserit baculo uel lapide. seu quod soluat pro pena libras x.

154 DE FERUTIS. (5)

ITEM statutum est quod si aliqua persona a xv annis infra percusserit aliquam aliam personam etatis xv annorum et ultra. aliquam

penam non soluat. nisi unus alium interfecerit. et tunc soluat interficiens eiusdem etatis pro pena libras x. et si occasione dicte percussionis aliquis ipsorum minorum aliquod membrum amitteret. percutiens amittat pro pena solidos LX. si autem minor aliquem maiorem ut dictum est percusserit non teneatur de pena.

155 DE UERBIS INIURIOSIS INTER MULIERES.

ITEM mulier seu femina. que dixerit alteri mulieri uel femine meletricem uel aliud turpe uerbum iniuriosum. soluat pro pena quocies dixerit solidos v astenses nisi essent familiares stantes ad eumdem panem et uinum. et nisi essent sorores. amita et neptis. uel consanguinea iermana. que de dicta pena non teneantur. si se concordauerint iuxta VIII dies. uel alie non attinentes non teneantur ad eamdem penam.

156 DE MULIERE PERCUTIENTE ALIAM MULIEREM.

ITEM si aliqua mulier seu femina aliquam aliam mulierem seu feminam percusserit sine gladio. unde sanguis non exeat. uel eam ceperit per capillos. malo modo et irato animo. soluat pro pena solidos x. et si sanguis exiuerit solidos xx. nisi fecerit se deffendendo. et tunc de dicta pena non teneatur. Et eamdem penam substineat mulier que aliam mulierem busssauerit. uel manum irato animo aliter in eam iniecerit. et si se concordauerint remittatur eis penam pro medietate. nisi essent sorores mater et filia. uel neptis seu amita. que de dicta pena inter se non teneantur. si starent ad unum panem et uinum.

157 DE INIURIA DICTA PER EXTRANEOS HABITATORIBUS BAENNARUM.

ITEM si qua persona que non sit de baennis dixerit alicui de baennis iniuriam uel aliquod uerbum iniuriossum. soluat pro pena solidos xx si hoc dixerit in baennis uel posse. et si se concordauerint remittatur eis medietas pene.

158 DE INIURIA DICTA POTESTATI.

ITEM si aliquis potestati de baennis dixerit iniuriam uel dedecus uel traditor uel periurus aut mentimini soluat pro pena * quociens dixerit * (1) solidos LX. si uero extraxerit uersus eum aliquem gladium irato animo. uel animo percuciendi eum. soluat pro pena libras x. quociens fecerit. Eo saluo quod si aliquis diceret potestati. uos facitis mihi oblicum. penam inde aliquam non substineat.

159 DE PERCUTIONE FACTA IN PERSONA POTESTATI.

ITEM si potestatem aliqua persona irato animo percusserit gladio. et inde sanguis exiuerit. soluat pro pena libras L astenses. si uero ex ipsa percussione sanguis non exiuerit. uel aliter in eum manum iniecerit iniuriose. soluat pro pena libras xxv. Et si soluere non posset uel nollet dictas penas puniatur in persona arbitrio domini episcopi (2) uel eius iudicis. Et si aliquis potestatem interfecerit. quod deus auertat. soluat libras cc. et perpetuo sit bannitus et forestatus uille baennarum. ita quod in ipsa uilla habitare non possit. et si haberi poterit morte moriatur. nisi licite hoc fecerit se deffendendo. et idem intelligatur de * singulis officialibus curie * saluo quod de pena pecuniaria que locum non habeat nisi pro medietate (3).

160 DE IGNE FURTIUE POSITO IN ALIENIS REBUS.

ITEM statutum est quod si alicui de baennis furtiue combureretur fenum messis uel tectum . emendetur ei a comuni. usque ad mensem unum postquam combustio facta fuerit * et si * (1) esset per guerram generalem. secundum quod uidebitur IIII hominibus ad hoc electis. qui nichil attineant passo dampnum. Et si comburerentur a tribus superius comune non teneatur emendare. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. Et qui possuerit. ignem furtiue in predictis comdempnetur ad mortem. Et si per simplicitatem uel impericiam ignem poneret. soluat pro pena solidos LX. et minores VII annorum de dicta pena non teneantur. Quod capitulum locum non habeat nisi in incendiis factis hominibus baennarum. et morantibus. et soluentibus ibi talias et fodra pro comuni dicti loci. et facientibus parias et condiciones loci eiusdem. et emendetur dampnum illi uel illis cui uel quibus dictum incendium siue dampnum fuisset datum in duplo. secundum extimationem inde factam. secundum formam capituli predicti. per illum uel illos qui dictum dampnum dedisset. uel dari fecisset. et si reperiri poterit qui dictum dampnum dederit uel dari fecerit. et non per comune. et hoc intelligatur si habuerit unde posset emendare. alioquin emendetur a comuni baennarum dampnum predictum sine duplo.

161 DE BOUE ALICUI SCARRATATO. (2) ET DE UINEIS INCISSIS ET UASTIS.

ITEM statutum est quod si alicui habitanti in baennis sgarratarentur uel interficerentur uel uastarentur bos uel boues. equus uel equi. mulus uel mula. asinus uel asina emendentur ei a comuni baennarum. usque ad unum mensem postquam factum fuerit. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et qui predictum dampnum fecerit soluat pro pena libras x et emendet dampnum. et pro aliis bestiis minutis solidos v et

emendet dampnum. Et si inciderentur uinee uel autinum a xx uitibus superius in posse baennarum aut fiet aliud uastum in uineis uel autinis extimatum in solidis LX uel supra emendetur ei a comuni et ille qui fecerit dictum uastum soluat bannum pro qualibet uice solidos v et emendet dampnum in duplo. secundum quod fuerit extimatum per extimatores comunis. Et si faciens uel fieri faciens dictum uastum haberi poterit emendet dictum dampnum si habuerit unde et non comune. et si non habuerit unde dampnum emendetur. a comuni tunc emendetur. et hoc capitulum locum habeat in omnibus bestiis grossis. Et hoc intelligatur si dictum dampnum factum fuerit in uilla baennarum uel posse. et aliter non. si sgarratate fuissent per aliquam personam uidelicet hominem uel mulierem restituantur a predicto comuni. si autem sgarratarentur per canes uel ceteras bestias. dicte bestie sgarratate per dictas bestias uel canes nullo modo fiat restitutio a predicto comuni **et quod omnes bestie menute eodem modo ut supra emendentur.**

162 DE FRANGENTIBUS STRATAM (3).

ITEM statutum est quod si qua persona de baennis stratam fregerit in posse baennarum aufferendo per uim aliquid alicui in predicta strata uel stratis. uel eum derobauerit. et haberi poterit soluat pro qualibet uice libras xxv astenses et rem ablatam restituat. quas libras xxv si soluere non poterit pedem amittat uel manum. Et illa strata intelligatur extra uillam baennarum. finis tamen baennarum. si uero extraneus fuerit uel bannitus de baennis qui uel que fregerit uel robariam fecerit ut supra. incurrat penam librarum C astensium curie applicandam. uel si soluere nequibit suspendio puniatur. nisi esset persona que duceret uel portaret aliquam rem alicui persone. contra eius uoluntatem. uel nisi esset latro uel homo male fame qui per habitatores baennarum possit capi et detineri. dummodo presentetur potestati baennarum uel eius locum tenenti. in quibus cassibus minime puniatur.

163 DE FACIENTIBUS INSULTUM AD DOMUM ALICUIUS.

ITEM cum domus tutum habitaculum et refugium esse debeat. et quilibet in domo sua tutus esse debeat et permanere. per presens statutum siue ordinatum sit. firmiter stabilitum. et inuiolabiliter obseruatum quod si aliqua persona insultum fecerit ad domum alicuius hominis uel habitatoris baennarum. quod illa persona que insultum fecerit temptauerit seu ausus facere fuerit soluat pro pena quocies fecerit si fuerit in die libras x et si in nocte libras xxv astenses. Et hoc non possit remoueri. et quod intelligatur domus conducta siue in qua aliquis staret uel habitaret quocumque modo. et intelligatur domus totum stallum et porticus stalli (1) et si quis iret ad domum alicuius prosequendum aliquam personam et faceret insultum ad domum illius ad quam domum se reduceret. uel aspectum caperet illam personam que iuisset ad domum alicuius. sit sub eadem pena. si insultum fecerit cum armis. et porticus comunis non intelligatur de domo siue stallo.

164 DE TRACTANTIBUS CONTRA DOMINUM EPISCOPUM ET UILLAM BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non debeat facere tractare uel consentire quod uilla baennarum nec iurisdictio ipsius uille perueniat nec peruenire possit seu posset in alias manus seu in aliam segnoriam uel dominium alterius persone quam domini episcopi astensis (2). Et illa persona que tractaret ordinaret consentiret uel quereret aliquo modo uel ingenii subtilitate aliqua. quod uilla seu homines uel iurisdictio ipsius uille baennarum fierent uel essent in alias manus uel aliam iurisdictionem seu aliud dominium quam domini episcopi astensis debeat penitus decapitari et omnia sua bona publicari. ita quod persona euadere non possit pro here. nec heres pro persona.

165 DE FURTIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona fecerit aliquod furtum in uilla baennarum uel posse a denariis XII infra soluat pro pena solidos XX. et si non haberet unde solueret frustigetur uel ponatur ad pellerinum. et si furtum fuerit a denariis XII supra usque in solidos V soluat pro pena solidos LX. et si non haberet unde solueret penam amputetur siue incidetur ei auriculam uel coquatur in fronte siue facie. et si fuerit a solidis V usque ad solidos X soluat pro pena solidos C. et de solidis X usque ad solidos XX libras X. et de solidis XX supra libras XXV. Et si non haberet unde solueret penam amittat pedem uel manum si potestas eum habere poterit. et furtum cum pena legali emendet. Et si fuerit approbatus de uno furto soluat duplum et de duobus triplum. et de tribus furtis puniatur secundum iurisformam. et si furtus factum fuerit in uilla baennarum uel extra uillam in nocte bannum superius duplicetur.

166 DE INUENTIS IN DOMO ALICUIUS DE NOCTE.

ITEM statutum est quod si aliquis inuenerit aliquem in domo sua. uel in curte post ultimam campanam sine lumine uel foco et dominus domus uel alius eius familie eum percusserit uel interfecerit de pena non teneatur. et si quis inuentus fuerit in domo alicuius soluat pro banno libras quinquaginta curie baennarum et dominus potestas possit et debeat inquirere (3).

167 DE INIURIA DICTA ET FACTA ALICUI EXTRANEO AB ALIO EXTRANEO.

ITEM statutum est quod si aliqua persona extranea dixerit alteri persone extranee aliquod uerbum iniuriosum in iurisdictione baennarum soluat pro pena quocies dixerit predicta solidos V. Et si unus extraneus faceret

iniuriam alteri extraneo. soluat pro pena quantum soluerent homines baennarum facientes iniuriam unus alteri secundum formam capitulorum inde factorum.

168 DE COMBUSTIONIBUS FACTIS.

ITEM statutum et ordinatum est. quod si alicui habitanti uel aliquibus habitantibus in baennis. usque in tribus hominibus furtiue comburerentur in uilla uel posse baennarum domus tectum messis fenum ayrale et palearium simul uel aliquid seu aliqua ipsorum emendentur sibi a comuni baennarum in unum mensem postquam combustio facta fuerit. secundum extimationem inde factam per IIII homines inde electos nichil attinentes passo siue passis dampnum. ita tamen quod si comburerentur ayrale domus et tectum simul uel aliquid seu aliqua ipsorum eo modo quo premittitur emendentur a comuni ut predictum est. et cum omnibus rebus intus combustis. quantacumque et qualiacumque fuerint. hoc intellecto et expressim quod si plures fuerint quorum fuerint aliqua uel alique ex dictis rebus combustis comunes. pro indiuisso pro uno homine quantum ad emendam faciendam scilicet de combustis intelligatur. ita tamen quod si plures domus et plura tecta seu plures domus et plura tecta seu ayralia unius hominis uel plurium. quorum essent pro indiuisso. comburerentur in baennarum fine. que essent in diuersis locis siue sediminibus. tunc nullo casu dicantur et intelligantur tot esse homines. quot fuerint loca in quibus fuerint dicte res combuste. Et si a tribus hominibus supra. ut superius dictum est. fieret combustio de aliqua re. ita quod possent dici uel esse IIII. quibus facta esset combustio. comune aliquid de predictis emendare non teneatur. nisi esset combustio clausule alicuius ayralis domus uel tecti seu curtis alicuius quarti hominis qui esset consors rerum combustarum. uel alicuius ipsorum. que clausura minime a comuni emendetur. tamen. propter combustionem ipsius clausure. nichilominus emendetur aliis tribus hominibus. que sibi combusta fuerint. secundum quod superius est expressum. hoc saluo quod teneantur iurare omnes de familia

passi dampni se non possuisse ipsum ignem nec fecisse ipsum incendium. et etiam se nescire quis fecerit. et si quo tempore reperiretur ipsum ignem siue incendium factum fuisse seu positum esse per aliquam personam de familia illius et inde habuerit emendam. teneatur recipiens emendam restituere in duplum comuni huius quod inde habuisset.

169 QUOD POTESTAS NON PONAT ALIQUEM AD PATIBULUM.

ITEM statutum est quod potestas uel eius locum tenens non possit ponere aliquam personam de baennis uel habitatricem baennarum ad patibulum seu tormentum pro aliquo maleficio uel aliqua causa. nisi prius ei dederit deffensionem decem dierum. et nisi prius inde cognitum fuerit et consultum per iudicem non suspectum. si dicta persona de iure est tormentanda. uel non. que cognitio fiat expensis partis subcumbentis. et nisi fuerit latro publicus. uel homo male fame.

170 QUOD PROCEDI DEBEAT CONTRA EXTRANEOS MALEFICIA COMMITTENTES.

ITEM statutum est quod si aliqua persona extranea percusserit uel bussauerit uel manus irato animo aliter iniecerit in aliquam personam de baennis seu ibi habitantem uel aliter offenderit in personam. et illa persona extranea non soluerit inde bannum. uel satisfecerit secundum formam capitulorum et ordinamentorum. quod sit bannita et forestata uille et comunis baennarum. et preconizetur et habeatur in bannis de maleficio et strata rupta infra xv dies post offensionem.

171 DE RIXA ORTA INTER NUNCIOS DOMINI EPISCOPI (1) ET HOMINES BAENNARUM.

ITEM statutum est quod si aliqua rixa uel contentio oriretur quod deus auertat inter aliquem nuncium (2) domini episcopi astensis stantem uel

commorantem in castro baennarum propter uicarium uel potestatem tam in uerbis quam de factis et aliquem hominem baennarum. quod ille uel illi de baennis predictis nunciis teneantur soluere secundum quod in capitulis baennarum continetur factis inter homines baennarum. et ille uel illi qui facerent dictam rixam cum dictis nunciis uel aliquo predictorum eamdem penam substineant. Et familiares dicti domini episcopi. uicarii. et potestatis habeantur et reputentur tamquam homines de baennis.

172 DE BESTIA GROSSA FURTIUE CAPTA.

ITEM statutum est quod si aliqua persona aliquam bestiam grossam bouinam. uachinam. mulatinam. asininam furtiue ceperit. alicuius habitatoris in baennis uel posse. soluat pro pena pro qualibet bestia. et qualibet uice. libras xxv. et furtum restituat in duplum. et si penam soluere non poterit. et dictum furtum restituere. ut predictum est. passo dampnum suspendatur ita quod moriatur.

173 DE PERCUSSIONIBUS ET FERUTIS FACTIS DE NOCTE CLANDESTINE.

ITEM statutum est ad euitandas percussiones et ferutas que sepius fiunt in baennis clandestine et de nocte. de quibus probationis et ueritatis haberi non possint indicia. quod si aliqua persona de baennis percussa fuerit per aliquam aliam personam grauiter de nocte. quod inde si ueritas aliter reperiri non poterit credatur persone percusse iuramento eius. sine aliqua alia probatione et puniantur percussores secundum formam capitulorum baennarum ac si legitime probatum fuisset. nisi forte persona percussa. ex ipsa percussione moriretur. et tunc ex uigore iuramenti persone percusse. potestas teneatur huiusmodi percussorem subiicere questionibus ut inde ueritatem confiteatur. * et item intelligatur et obseruari debeat de percussionibus que fierent de die in nemoribus uel fossatis aut aliis locis occultis et solitariis. (1)

Hec est collacio tercia. uidelicet de omnibus regardaliis. (2) ut infra.

174 DE EXPULSIONE POSSESSIONIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona turbauerit uel molestauerit aliquam aliam personam in possessione alicuius rei soluat pro banno si possessio fuerit ualoris solidorum xx uel supra solidos x. et a solidis xx usque in solidos x soluat pro banno solidos v. et a solidis x infra soluat pro banno solidos III. et quod quelibet persona possit inde accusare. et eius iuramento credatur. et potestas possit et teneatur inde inquirere si ei fuerit denunciatum.

175 DE EUNDO AD SCARAUAYTAS (3)

ITEM statutum est quod si aliquis non iuerit ad scarauaytas. uel ad uaytam (4) sicut ei preceptum fuerit. si fuerit infra uillam baennarum. dabit pro pena solidum I. et de hoc credatur suo iuramento.

176 DE MALEDICENTIBUS DE DEO ET SANCTA MARIA.

ITEM statutum est quod si aliqua persona destrauauerit (5) uel dixerit malum de sancta maria uel de deo. soluat pro pena quocies dixerit solidos LX (6) curie. et si dictum bannum soluere non poterit frustigetur incontinenti per omnes ruatas uille baennarum. uel ponatur ad pellerinum. et ibi stet per tertiam partem diei ad minus. et quilibet possit inde sacramento accusare et habeat tertiam partem banni et ei credatur et teneatur priuata. et famulus curie possit accusare et eius iuramento credatur. (7)

177 ## DE NON INTRANDO ALIENUM AYRALE.

ITEM quod aliqua persona non possit nec debeat intrare alienum ayrale. nisi in eo facere haberet. uoluntate illius cuius esset ayrale. et illa persona que contrafecerit soluat pro pena. quocies fecerit solidos v. et tempore mexonum solidos xx. et de nocte dictum bannum duplicetur. Et si in alieno ayrali aliquid caperet. puniatur secundum capitulum de maleficio. et quelibet persona possit inde accusare que fuerit bone fame. et credatur accusationi sue iuramento. et non intelligatur ayrale nisi fuerit clausum ad modum ayralis. uel nisi esset causa parandi bestias. uel capiendi uolucres. scilicet galinas capones uel anseres sue. si hoc iurare uoluerit. penam aliquam non substineat.

178 ## QUOD SEPUM NON FUNDATUR IN UILLA.

ITEM statutum est quod nulla persona possit fundere. nec debeat aliquod sepum causa uendendi in uilla baennarum. nec infra fossata ayralium aliquo modo sub pena solidorum xx pro qualibet uice. et de hoc obseruando teneantur macellatores. et factores candelarum sacramento. nec etiam citra cuzeam de uersus portam inferiorem. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et predicta teneantur qui faciunt candelas obseruare iuramento. et potestas de predictis possit inquirere. et quilibet accusator habeat tertiam partem banni et teneatur priuatus.

179 ## DE LUDIS TAXILLORUM.

ITEM statutum est quod nemo possit uel debeat ludere ad aliquem ludum taxillorum (1) taliaycie seu uete. aut rianete. aliquo modo. uel ad ludum de septem. et hissimilibus. nisi ad tabulas. ad scachos seu

scaletam. ad quos ludos possit ludi impune. et qui contrafecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos x in die. et in nocte solidos xx curie. Et qui prestaret ad dictum ludum substineat dictum bannum. nisi esset tempore guerre generalis. quo tempore conscilium possit inde dare licentiam. Et si quis inueniretur ullo modo iuxta baszaciam (2) planam. iacens. eamdem penam substineat ut ludens. Et ille in cuius domo luderetur si sciret. et ille qui prestaret denarios uel taxillos. soluat pro pena in die solidos x et in nocte solidos xx curie. Et eodem modo ludus biliarum sit in banno. item quod aliquis non possit ludere ad tabulas in aliqua domo curia siue tecto in posse baennarum sub eadem pena. Et quelibet persona possit accusare contrafacientes. et ei credatur iuramento Et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit etiam super predictis inquirere. aliquo capitulo facto in contrarium non obstante.

180 DE CLAUSURIS UILLE NON AUFFERENDIS ET TRANSEUNTIBUS NISI PER PORTAS.

ITEM statutum est quod si aliquis fregerit seu ceperit de clausuris spaudis (3) uel aliis circa uillam uel ayralia baennarum uel transierit nisi per portas uel pusternam nisi iret ad criaforam rixam uel stremitam uel pro lupo qui comederet aliquam bestiam. uel ad ignem. dabit pro pena quocies fecerit solidos x curie in nocte. et in die solidos v curie et totidem pro emenda. si potestas sciuerit. nisi esset parabola (4) potestatis uel eius locum tenentis. Et qui ceperit de stepis et aliis rebus comunis. soluat solidos xx curie et totidem pro emenda comuni quocies fecerit. Et hoc intelligatur de rebus ductis in seruitio comunis. uel clausule. et tres domus siue tria hospicia proximiores uel proximiora loco in quo essent capte dicte stepe uel clausure comunis teneantur emendare et restituere dictas stepas comuni. uel accusare potestati qui acceperit dictas stepas. Et quelibet persona possit inde accusare iuramento et ei credatur et accusationi sue et habeat tertiam partem banni. Et quelibet persona possit accusare

iuramento quamlibet personam transeuntem seu euntem extra uillam baennarum. per super stepas clausure uille baennarum et quamlibet personam capientem de stepis siue clausuris aliis comunis. et ei credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. Et potestas possit inquirere. et inde teneatur.

181 DE CARBONE NON DUCENDO EXTRA FINEM BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec extrahere uel extrahi facere. ducere uel duci facere carbonem factum uel natum in fine baennarum extra posse baennarum. nec etiam ducere a uilla baennarum inferius extra finem baennarum. sub aliquo ingenio dictum carbonem. et qui contra fecerit soluat pro pena. pro qualibet plaustrata solidos x curie. Et quilibet possit inde accusare. et ei credatur iuramento et habeat tertiam partem banni. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

182 QUOD BERBIARII NON TENEANT SUAS BESTIAS.

ITEM statutum est quod aliquis berbiarius extraneus baennarum uel priuatus non possit nec debeat habere nec tenere in baennis et posse aliquam bestiam que sit sua. uel in qua habeat ullam partem. nisi eas daret ad tenendum ad caput saluum. uel ad soccidam. Et qui contrafecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos v curie et totidem pro emenda comuni. exceptis bestiis quas custodiret de hospitio in quo staret comuniter. de quibus nullum bannum soluat. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et teneatur priuata. Et potestas etiam possit inquirere ad suam uoluntatem. et potestas teneatur facere iurare omnes berbiarios obseruare predicta et accusare contrafacientes et etiam inquirere omni mense de predictis et quod nullus berbiarius possit uel debeat

cum ouibus aliquas capras tenere uel ducere sub pena pro qualibet capra et qualibet uice solidorum v et quilibet possit accusare cum iuramento et habeatur et teneatur priuata et potestas inquirere ad suam uoluntatem.

183 DE UINO EXTRANEO NON DUCENDO.

ITEM statutum est quod aliqua persona extranea uel priuata non possit nec debeat ducere. uel duci facere uinum extraneum de extra uillam baennarum in baennis. et qui contrafecerit soluat pro qualibet carrata solidos c astenses et si qua persona emerit de aliquo uino extraneo quod ductum esset in baennis soluat pro pena solidos xx quocies fecerit. Et hoc sit ad uoluntatem conscilii. et quilibet homo bone fame possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere. Et quod si contingerit aliquam personam licentiari per conscilium baennarum ducendi uinum extraneum in uilla baennarum. quod postea liceat cuilibet persone baennarum ducere uinum extraneum in uillam baennarum ad suam uoluntatem impune dicto capitulo non obstante per totum regimem illius anni. Et si per potestatem non fuerit obseruatum presens capitulum. amittat de suo salario libras x. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et quod non possit proponi in conscilio baennarum . de uino extraneo disbaniendo. dum reperiretur uinum in uilla baennarum sufficienter. et nisi prius recercatum foret. que recercatio fieri debeat sicut per conscilium baennarum fuerit ordinatum. Et quelibet persona pro qualibet bestia ponderata soluat solidos xx et ad dorsum solidos x. Et quod potestas in principio sui regiminis attendere dictum capitulum et observare iuramento teneatur. saluo quod quelibet persona de baennis uel ibi habitans possit aportare uel aportari facere de dicto uino in botis uel barletis occasione infirmitatis uel alia neccessitate sine pena et banno.

184 QUOD ILLI DE ULTRA TANAGRUM NON EMANT HERBAM IN FINE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliquis homo de ultra tanagrum non possit nec debeat emere herbam nec secare pratum ad partitam in fine baennarum. et qui contrafecerit soluat pro pena pro quolibet seccatore solidos v. et quilibet homo bone fame possit inde accusare. et accusationi sue credatur. et habeat tertiam partem banni. et illa persona que daret ad seccandum dictum pratum uel uenderet dictam herbam eamdem penam incurrat.

185 QUOD FAMILIARES POTESTATIS ACCUSARE NON POSSINT.

ITEM statutum est quod aliquis nuncius siue decanus (1) siue seruiens siue familiaris potestatis baennarum non possit accusare aliquam personam baennarum aliqua occasione. et si contrafactum fuerit predicta accusatio sit nullius ualoris. et si qua persona esset accusata ab aliquo uel ab aliquibus ipsorum sit penitus absoluta. Et hoc capitulum locum habeat tantum de bonis extrinsecis. nisi inde ei esset concessa baylia a conscilio baennarum.

186 DE LIGNIS NON DUCENDIS PERSONE EXTRANEE.

ITEM statutum est quod aliqua persona baennarum. uel habitans in baennis non possit nec debeat ducere uel menare ligna aliquo modo uel ingenio nec etiam prestare boues ad ducendum ligna extra posse et iurisdictionem baennarum sub pena et banno solidorum xx pro quolibet et qualibet uice. et quelibet persona possit inde accusare. et credatur accusationi sue iuramento. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et si dampnum uel uastum datum fuerit illo anno in rebus uel bladis contrafacientis nullum bannum uel emenda soluatur.

187 DE NON LIGNANDIS INSTRUMENTIS BOUUM PERSONE EXTRANEE IN BAENNIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona de baennis non possit nec debeat cauzare (2) nec facere seu lignamare aliquem currum seu plouum alicui persone extranee sub pena solidorum XX pro qualibet uice quocies contrafecerit. et quelibet persona que uendiderit seu dederit modo aliquo gambozias (3) alicui persone extranee. uel aliqua alia lignamina currus uel ploui. soluat pro pena quocies fecerit. pro qualibet gambozia et alio lignamine materiato solidum I. Et quelibet persona possit accusare. et credatur accusationi sue iuramento. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. * et si aliqua persona extraxerit de posse baennarum seu uendiderit prestiterit seu dederit uel alienauerit alicui persone extranee aliquod currum uel aliquod instrumentum bouum soluat pro pena solidos LX astenses quocies contrafecerit. et potestas possit inde inquirere. et quelibet persona possit inde accusare. et ei credatur iuramento. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. * (4)

188 QUOD BESTIE NON INTRENT AYRALIA ALIENA UEL ORTUM.

ITEM statutum est quod si aliqua bestia inuenta fuerit in alieno ayrali ubicumque sit in fine baennarum clausum uel in alieno orto qui sit intra uillam. uel ayralia baennarum competenter clausa. soluat bannum quantum solueret ex forma capituli facti de alienis dampnis. et quelibet persona possit accusare iuramento et credatur ei.

189 QUOD UINUM NON DETUR FERRARIIS.

ITEM statutum est quod nulla persona possit uel debeat ullo modo uel ingenio dare aliquod uinum ferrariis baennarum. uel aliis pro ipsis nec aliquid aliud loco uini. nisi loerium consuetum occasione alicuius fa-

bricationis que faceret fieri ipsis ferrariis. sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. et quelibet possit inde accusare iuramento suo. et ei credatur. et habeat tertiam partem banni. saluo si accusatus de predictis iurauerit se non dedisse dictum uinum. uel aliud loco uini dictis ferrariis occasione predicta. inde absoluatur sine aliqua probatione. Et ferrarius contrafaciens siue capiens dictum uinum substineat eamdem penam. Et quelibet persona possit inde accusare iuramento et ei credatur et habeat tertiam partem banni. **Et potestas possit inquirere ad suam uoluntatem.**

190 QUOD CRAPA (1) FERRI NON PONATUR IN UIIS PUBLICIS.

ITEM statutum est quod nullus ferrarius ponat aliquam crapam ferri in uia publica sub pena solidi I pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit. Et quelibet persona possit inde accusare et ei credatur iuramento et teneatur priuata. et eamdem penam substineat ferrarius iuxta domum cuius reperta fuerit crapa ferri in uia publica.

191 DE NON ARANDO UIAM PUBLICAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat arare laborare uel cauare seu aliquo modo appropriare sibi aliquam uiam publicam seu aliquid de aliqua uia publica in toto uel in parte alicubi in fine baennarum lequi uel costemagne sub pena solidorum III (2) pro qualibet persona que contrafecerit. et quelibet persona possit inde accusare. et credatur ei iuramento.

192 DE NON ARANDO UEL CAUANDO PROPE TERMINOS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat arare laborare uel cauare prope aliquem terminum positum inter aliquos con-

sortes in aliquibus possessionibus per unum pedem circumquaque. sub pena et banno solidorum v (3) pro qualibet persona et qualibet uice. Et consortes et quilibet ipsorum possit contrafacientem accusare de predictis et accusationi sue iuramento credatur.

193 AD QUAS PESAS PESARI DEBEAT.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit pesare uel ponderare aliquam rem ab una libra infra ad aliquam pesam nisi ad pesas et pesam boglotij. et quelibet persona que contra fecerit soluat pro pena. pro qualibet uice solidos III et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. hoc tamen excepto quod macellatores et uendentes carnes ad menutum possint pesare carnes ab una libra infra ad pesam de ferro super balanciis uel aliter dummodo sit iusta. Et persona que contrafecerit soluat quocies fecerit solidos III. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei credatur iuramento et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inquirere ad suam uoluntatem. (4)

194 QUOD NON HABITANTES IN BAENNIS NON POSSINT FACERE ACCUSAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona que non habitet in baennis cum foco proprio et cathena. et non faciens parias et alias condiciones atque non soluens fodra et talias pro comuni baennarum nequeat facere ullam accusam de aliqua re uel facto aliquo modo. Et si aliqua accusa facta fuerit per aliquam ex predictis personis. sit talis accusa nullius ualoris omnino. nisi illa persona esset excusata a taleis et aliis condicionibus a comuni baennarum. certo pacto. et nisi esset ex decanis uel propria familia potestatis. cui uel quibus concessa esset baylia accusandi a conscilio baennarum. qui accusare possint et quilibet ipsorum de hiis de quibus baylia sibi concessa fuerit accusandi a conscilio baennarum. et non de

alio. et quod non possit concedi baylia accusandi per conscilium baennarum alicui persone non habitanti in baennis et non soluenti fodrum pro comuni baennarum. nisi illa persona esset nominata expresse in dicto conscilio seu ordinamento. hoc capitulum intelligatur quod accusare non possint. sic. quod ipsorum accusis credatur absque alia probatione. aliter atque bene possint.

195 DE NON RONCHANDO SUPER COMUNI.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat ronchare uel ronchari facere aliquo modo uel ingenio in aliquo loco in fine baennarum lequi et costemagne super comuni. sub pena solidorum xx astensium pro qualibet persona quocies contrafecerit. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. saluo tamen quod quilibet possit ronchare in frascheta secundum quod inde ordinatum est per conscilium baennarum. Et quod potestas non possit ponere in conscilio quod ronchetur contra predicta. Et si contrafecerit amittat de suo salario libras x et persona que inde potestas requisiuerit soluat pro pena solidos x. Et quelibet persona possit inde accusare ut supra. Et quod aliqua persona non possit arare uel cauare nisi ut predictum est in frascheta super comuni absque uoluntate conscilii baennarum uel maioris partis sub eadem pena et banno solidorum xx astensium. Et quelibet persona possit inde accusare ut supra. Et qui consuleret quod ronchetur soluat pro quolibet et qualibet uice solidos xx.

196 DE NAXANDO CANABO.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat naxare (1) uel naxari facere aliquod canabum in cuzea ab orto bartolomei brugogni superius alicubi nec a uado costemagne in mundelauia superius

nec in aliquo loco a mundalauia superius sub pena solidorum v pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et quod aliqua persona non debeat delocare seu locum auferre in naxatoriis aliquam aliam personam sub pena solidi I quocies contrafecerit. Et quelibet persona possit inde accusare et ei credatur iuramento et potestas possit inde inquirere.

197 QUOD NON CAPIANTUR LIGNA IN ALIENIS PRATIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat boscare nec incidere uel capere aliquod lignum uiride uel siccum in aliquo prato alicubi uel iurisdictione baennarum sub pena solidorum v pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et nichilominus emendet dampnum. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. si uero ibi boscauerit aliquam arborem domesticam uel saluasticam alleuatam uel custoditam ad alleuandum puniatur ex forma alterius capituli inde loquentis :

198 DE EXTRANEIS EMENTIBUS UEL UENDENTIBUS IN BAENNIS SIUE POSSE ALIQUAM REM QUE UENDATUR AD PESAM.

ITEM statutum est quod quelibet persona extranea que emet in baennis uel uendet. siue posse baennarum. aliquam rem que sit solita ponderari (2) seu uendi ad pesam. soluat et soluere debeat pro quolibet rubo obolum (3) unum. et a rubo infra de libris x uel supra totidem persone ad hoc constitute pro comuni baennarum. et a rubo supra delibris x uel supra usque ad alium rubum totidem. siue predicta res ponderetur. siue non. ita tamen quod si persona emens uel uendens rem predictam fuerit similiter extranea. soluere debeat medietatem quantitatis predicte. si uero persona de baennis uendet persone extranee uel emet a persona extranea aliquam rem que ponderetur uel solita sit uendi ad pesam. persona extranea totum soluere debeat ut predictum est. Et si uero persona

de baennis emet ab alia persona de baennis aliquam rem de predictis. persona emens per medietatem et uendens pro alia dimidia soluant et soluere debeant. pro quolibet rubo obolum I. et a rubo supra de libris x uel supra usque ad alium rubum totidem. et a rubo infra nichil soluere debeant predicte persone de baennis siue emant siue uendant. et persona que contrafecerit seu non soluerit. seu quoquo modo aliquo fraudem uel dolum commiserit in predictis uel aliquo predictorum soluat pro pena et banno solidos II curie. Et si aliqua persona ponderauerit seu ponderari uel pesari fecerit aliquid de predictis rebus solitis uendi ad pesam nisi ad scandalium uel pesam comunis. et nisi a predicta persona ad hoc constituta eamdem penam substineat. quocies contra fecerit. si uero aliqua persona extranea emet in baennis ab alia persona extranea aliquam barilem olei uel mellis. predicte persone soluere debeant pro qualibet mezalora (1) comuni denarios II siue ponderetur siue non. * et eodem modo * (2) persone de baennis inter se. si uero persona de baennis emet a persona extranea uel uendet persone extranee aliquam mezarolam olei uel mellis. persona extranea totum soluere debeat. scilicet denarios II pro qualibet mezarola siue ponderetur siue non. ut dictum est. Et si aliqua persona extranea uel priuata recognosci fecerit aliquem faxem cuiuscumque rei sit teneatur facere ponderari idem. per predictam personam ad hoc constitutam et ad scandalium siue pesam comunis. et non aliter. et soluere debeat comuni pro loerio pro quolibet rubo obolum unum. et si aliqua persona non soluerit seu obseruauerit ut predictum est. seu fecerit contra predicta uel aliquid predictorum aut dolum uel fraudem commiserit in predictis uel aliquo predictorum soluat et soluere debeat pro qualibet persona quocies contrafecerit solidos IIII curie. et quelibet persona possit inde accusare et credatur ei iuramento et habeat tertiam partem banni.

199 DE BOSCANTIBUS IN BOSCHIS SPECIALIUM PERSONARUM. (3)

ITEM statutum est quod quelibet persona que inuenta fuerit uel uissa boscare in aliquibus boschis specialium personarum in fine baennarum et

iurisdictione aliqua ligna minuta sica soluat pro pena et banno solidos III curie et totidem pro emenda. et quelibet possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni.

200 QUOD NEMO POSSIT TENERE ALIQUAM BESTIAM PORCINAM IN UILLA BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit tenere aliquam bestiam porcinam in uilla baennarum ad domum. sed teneatur cazare ipsas bestias porcinas ad pascendum in pasturam in campis continue exceptis bestiis impinguandis ad interficiendum. et porcellis pupantibus. qui possint teneri usque ad tres menses. et exceptis troys pregnantibus. que possint ibi teneri postquam porcellassent per tres edomadas. et persona que contrafecerit soluat pro pena pro qualibet die et qualibet bestia solidos III. et quelibet persona possit inde accusare. et credatur ei iuramento. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. et de bestiis impinguandis credatur iuramento suo illi cuius essent. uel fuerint predicte bestie porcine.

201 AD QUOS FERRARIOS LICEAT HOMINIBUS BAENNARUM FABRICARE.

ITEM statutum est quod liceat hominibus baennarum fabricare et fabricari facere ad suam liberam uoluntatem ad massagium (4) cuiuscumque ferrariorum baennarum uoluerit. hoc tamen modo et forma. uidelicet quod quelibet persona que inceperit facere fabricari cum uno dictorum ferrariorum teneatur toto illo anno facere fabricare uel fabricari dicta ferramenta ad massagium pertinentia (5) ferrario predicto. et ei satisfacere de massaggio et de aliis loeriis ferramentorum iuxta formam instrumenti facti inter comune et ferrarios. hoc tamen saluo quod si dictus ferrarius nollet. uel non posset propter deffectum carbonis uel alia occasione fa-

bricare continue et modo debito persone predicte. quod liceat dicte persone facere fabricari alio ferrario ad massagium. dummodo ipsa persona satisfaciat dicto ferrario de massagio pro tempore quo seruiuit eidem. Et quod potestas teneatur predictos ferrarios compellere fabricare. et ferramenta facere pro loeriis contentis in instrumento predicto. et hactenus consuetis sine datione uel captione alicuius uini. Et quilibet ferrarius qui de dictis ferramentis maius loerium acceperit soluat pro pena pro qualibet persona et qualibet uice solidos III. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. Et hoc capitulum locum habeat saluis in omnibus pactis factis inter comune baennarum. et magistrum (1) lafranchum ferrarium.

202 DE POSSESSIONIBUS QUE DEBENT REGESTARI QUE SUNT CITRA TANAGRUM IN FINE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessionem aliquam citra tanagrum et a rocha molaria (2) supra usque ad finem plocii. et a uia carnasca (3) infra uersus baennas scilicet inter bealem et costam banalli (4) et a fossato superiore prati siulfi carnalie quondam et sicut tendit pratum uillelmi omiberti quondam recta linea usque ad rurem bellam et a rure bella recta linea usque ad fossatum aquilarum (5) uersus baennas. teneatur et debeat ipsas possessiones regestare et ponere in regesto baennarum. et de ipsis soluere fodrum et talias in baennis. cum predicte possessiones sint in posse baennarum et districtu. Et potestas teneatur inquirere dictas possessiones et facere eas poni in regesto baennarum et deffendere ac prohibere ut de dictis possessionibus alibi quam in baennis nulle talie uel fodra soluantur uel regestentur. Et si qua persona dictas possessiones regestauerit uel de ipsis fodrum soluerit alibi quam in baennis. soluat pro pena. pro qualibet persona et qualibet uice solidos x curie. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et comune baennarum teneatur conseruare sine dampno omnes personas predictas de omni dampno quod incurre-

rent occasione qua non soluerent predictas talias et fodrum alibi quam in baennis. et dictis penis solutis nichilominus persone predicte de dictis possessionibus talias et fodra in baennis soluere teneantur.

203 DE PORCHIS GROSSIS MANENTIBUS CIRCA PLATHEAM.

ITEM statutum est quod si porchus grossus pro amazando alicuius persone manens circa platheam scilicet a domo Rufini saltoris infra usque ad domum facii barberii et heredum quondam mathei cuniberti et usque ad domum pegolotorum et ab inde usque ad domum cognorum et andree de bursa ab utraque parte uie inuentus fuerit in plathea baennarum a kalendis madii usque ad festum sancti martini. dominus uel domina ipsius porci soluat pro pena pro quolibet et qualibet uice denarios XIII (6) curie. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur.

204 DE MACELLATORIBUS.

ITEM statutum est quod macellator non debeat lucrari in bestiis quas uendiderit nisi denarium pro solido. et hoc teneatur macellarius obseruare. Et similiter teneatur iuramento in ueritate dicere ad plus quantum constiterit bestia uel bestie cuilibet uolenti emere medietatem uel tertiam partem uel quartam et dicere si carnes sunt porci uel troge. castrotis uel non. et qui contra fecerit soluat pro pena pro quolibet et qualibet uice solidos V curie et accusator habeat tertiam partem banni. Et potestas possit compellere quemlibet beccarium facere carnes. et aliquis beccarius non debeat uendere carnes grignolossas (7) sub aliquo tecto. Et nullus macellator possit uel debeat facere aliquam societatem cum aliquo alio macellatore nisi XV diebus ante festum natalis domini et paschatis. et XV diebus post ipsa festa. et qui contrafecerit soluat pro pena qualibet uice solidos X. Et quod alique carnes morbide non debeant uendi infra uillam baennarum et pontem porte superioris sub pena solidorum V. Et quod qui-

libet beccarius uel macellator non possit nec debeat tenere carnes ouis capre bechi arietis trogie super bancham in qua tenebit uel uendet carnes porci et castrotis sub eadem pena solidorum v. Et si aliquis beccarius fulciret aliquam bestiam uel in ea sufflauerit seu inflatam fecerit soluat pro pena solidos x. Et quilibet possit de predictis accusare et ei credatur iuramento et potestas possit inde inquirere. Et quod potestas cum sindicis uel alter ipsorum teneantur et debeant dare stantiam cuilibet bestie et maxime bestiis bouinis et etiam teneantur dare stantiam agnelletis et caprotis. (1)

205 DE TESTORIBUS ET IPSORUM IURAMENTO ET PARATURA PANNI ET MENSURA IPSORUM.

ITEM statutum est quod testor uel testrix habeant tantum de tela sextum (2) et de panno nigro denarios XVIII pro tesa (3) et de quolibet alio panno albatio (4) denarios III. et de albo denarios III (5) et tesa ordioria debeat esse tercia pars plus quam uenditoria comunis. (6) et persona que contrafecerit soluat pro pena solidos III. et potestas teneatur facere iurare custodes parature et omnes testores et testrices in principio sui regiminis obseruare predicta et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat terciam partem banni et teneatur priuata et potestas possit super predictis inquirere ad suam uoluntatem. aliquo capitulo non obstante. et potestas iurare teneatur inquirere singulis tribus mensibus de predictis. et quod non possint capere earum partem donec dicta tela tota erit facta. et in presentia domini tele siue domine debeant accipere suam partem tele de tali tela quam texuerint. et si qua testrix pecierit nisi ut predictum est. soluat pro pena solidos x pro qualibet persona et qualibet uice. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et quod dicti testores et testrices non possint facere telam uel pannum alicui persone extranee exceptis hominibus domini. (7) qui teneantur iurare filum esse suum sub pena pro qualibet teysa solidorum x in manibus domini potestatis et dominus potestas teneatur inquirere in quolibet mense. (8)

Incipit Collatio quarta. uidelicet de officio notariorum. et de eorum salario ut infra continetur.

206 PRIMO DE SOLUTIONE NOTARIORUM.

ITEM statutum est quod notarius comunis seu curie baennarum teneatur et debeat facere instrumentum sindicatus in quo erunt uel fuerint nomina consciliariorum uel maior pars pro solido I. et instrumentum compromissi pro solidis II. et instrumentum sententie pro solido I. et instrumentum mutui a libris XXV infra pro denariis VI. et a libris XXV supra usque in libras L pro solidis II. et a libris L supra pro solidis III. (9)

207 DE EODEM.

ITEM statutum est quod aliquis notarius non possit nec debeat aliquid petere uel habere ab illis qui fuerint absoluti de bannis per potestatem uel per iudicem. et notarius qui contra fecerit soluat pro banno solidos V.

208 DE EODEM.

ITEM statutum est quod notarius curie baennarum teneatur facere omnes condempnationes in carta. et habeat de condempnatione a solidis X infra denarium I. et de solidis X et supra denarios II. et si faceret condempnationem in instrumento testato habeat a solidis XX infra denarios IIII. et de solidis XX et supra denarios VI. et de instrumento cride seu preconizationum denarios VI. et de instrumento cure bonorum uacantium denarios VI et de instrumento tutele uel cure minorum solidum I. et de instrumento liurationis a solidis LX infra solidum I. et a solidis LX supra usque in libras X solidos II. et a libris X supra usque in libris XX so-

lidos III. et a libris xx supra solidos v. Et de instrumento appellationis a libris x infra denarios VI. et a libris x supra solidum I. et de instrumento sententie a libris x infra solidum I. et a libris x supra solidos II. Et si notarius nollet facere ut dictum est dicta instrumenta. potestas teneatur incontinenti mutare dictum notarium et ponere in conscilio quod mutetur incontinenti. et notarius debeat habere de quolibet teste quem receperit denarios IIII tantum.

209 DE NOTARIO ET CLAUARIO CURIE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod omnes clauarii et notarii curie seu comunis baennarum mutari et remoueri debeant de tribus in tribus mensibus. secundum quod consuetum est. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. et quod ille uel illi qui fuerint positi in dictis officiis clauarii uel notarii debeant comuniter participare. si sufficienter fuerint literati lucra ad eos peruenientia ex dictis officis. Et quod teneantur iurare in conscilio non exercere dicta officia ultra tres menses. et quod non possint esse in dictis officiis uel aliquo ipsorum nisi semel in anno. et quod aliquis notarius siue clauarius qui electi fuerint ad dicta officia non possint ponere aliquem loco sui. sed penitus debeant suum officium exercere. saluo quocumque honore (1) et iure comunis. **et quod decanus comunis baennarum mutetur omni anno quum potestas mutabitur. * et quod potestas teneatur facere obseruare presens capitulum uinculo iuramenti. (2)**

210 DE NOTARIIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur compellere notarium baennarum reddere instrumenta infra xv dies postquam querimonia inde fuerit.

211 DE NOTARIIS CURIE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod notarius curie baennarum teneatur et debeat scribere pro quacumque persona terminum datum pro denario I et quamcumque positionem seu exceptionem. et replicationem pro denario I. de libello non debeat habere ultra denarios VI et de qualibet intentione usque in duabus. denarios II. et de quolibet titulo positionum. et intentionum et replicationum denarios II. et a duabus intentionibus supra pro qualibet intentione denarium I. que ultra dictas duas fuerint scripte.

212 DE SARTORIBUS.

ITEM statutum et ordinatum (3) est quod sartores tam masculi quam femine teneantur facere gonellos (4) et fustanicos (5) hominibus habitantibus in baennis * etatis XV annorum uel ultra pro denariis VIII. et XV annorum infra usque ad VIII annos pro denariis VI. et pueris paruis minoris etatis VIII annorum pro denariis IIII et uardacona (6) feminarum sine penna (7) pro solido I et cum penna pro denariis XVIII. et persona que contra fecerit soluat pro pena pro qualibet persona et qualibet uice solidos III et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. eodem modo teneatur facere paria caligarum pro denariis III cuiuscumque panni sint sub eadem pena.



Anno domini millesimo CCLXXXXVIII indicione XIª.

213 DE NON RECIPIENDO ALIQUEM NOBILEM IN HABITATOREM BAENNARUM. (8)

ITEM statutum est quod si aliquis nobilis receptus fuerit in habitatorem uel ciuem baennarum interiorum a XV annis citra quod comune

baennarum illum habitatorem uel illos absoluat. licentiet et quietet a tali habitatione et ab omni promissione facta per ipsum uel ipsos occasione dicti habitamenti comuni iam dicto. ita quod a modo dictum comune non teneatur ipsum uel ipsos deffendere tamquam ciuem uel habitatorem baennarum. sed omnino sit uel sint expoliati omni protectione et deffensione comunis predicti. et quod ulterius habeantur pro extraneis dicti loci. et de libro comunis baennarum abradantur. et habitatione et uilla baennarum et posse licentientur per potestatem qui fuerit pro tempore infra VIII dies postquam iurauerit regimen suum. pena et banno eis impositis arbitrio potestatis predicti. quod post dictum terminum in uilla baennarum ullatenus non morentur. sed eos penitus habeat pro extraneis et quod de cetero non recipiantur nec morentur. Et quod dictus potestas elapso dicto termino eos tamquam habitatores uel ciues non deffendat sed eos penitus habeat pro extraneis. Et quod de cetero non recipiantur aliqui nobiles in habitatores uel uicinos ciues uel commendatos comunis predicti. quod si secus fieret. dicta receptio sit cassa ipso facto et nullius ualoris. Et idem intelligatur de hominibus de nouello et de quolibet alio loco iurisdictionis seu districtus domini henrici de carreto (1) tam nobilibus quam innobilibus exceptis hominibus de nouello non habitantibus et solitis habitare in baennis continue cum foco familia et cathena.



In nomine domini nostri iesu christi. Amen. Hic continetur de collatione sexta (2) uidelicet ut infra continetur.

Anno domini millesimo CCLXXXXIIII indicione VII die VI exeunte madio (3) omnia suprascripta capitula confirmata fuerunt et approbata per dominum ubertum de corsenbrado archipresbiterum astensis ecclesie et per dominum oddonem garetum canonicum astensis ecclesie ambos uicarios generales tocius capituli et Episcopatus astensis. Episcopali sede uacante uice et nomine astensis ecclesie. Et ex uigore et auctoritate eorum uicarie predicte. Exceptis omnibus capitulis in quibus pena corporalis seu sanguinis continetur. in quibus exceptatis capitulis. predicti domini uicarij. quin fuisset ipsorum ordinem in nichilo consenserunt. Quam quidem confirmationem fecerunt predicti domini uicarii examinatis prius diligenter dictis capitulis cum capitulatoribus baennarum in castro Episcopali baennarum. silicet in capella castri predicti.

214 DE ILLIS QUI ACCUSATI SUNT BOSCASSE IN BOSCHIS BANNITIS UEL ALICUIUS PERSONE SPECIALIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona accusata fuerit uel inculpata boschasse in aliquo boscho bannito uel in boscho alicuius persone specialis finis baennarum. et dicta persona boschauerit ad opus alicuius persone alterius in boscho predicto. quod illa persona ad cuius opus boschauerit teneatur soluere bannum et emendam quam inde soluere deberet dicta persona accusata occasione predicta. et hoc intelligatur si dicta persona inculpata uel accusata non habuerit in baennis unde soluat dictam penam. et si dicta persona accusata contempserit comparere coram curia baennarum ad aquitandum dictum bannum absentando se de terra taliter quod inueniri non poterit in terra per dominum potestatem uel eius locumtenentem.

215 DE PERSONIS EXTRANEIS ACCUSATIS DE REBUS UEL DAMPNIS FINIS BAENNARUM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona extranea accusata fuerit de aliquo dampno uel re alicuius persone specialis finis baennarum soluat duplum huius quod solueret persona de baennis accusata de dampno predicto. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. Et hoc capitulum locum habeat in boschis.

216 QUOD POTESTAS TENEATUR FACERE ELIGI DUOS MASSARIOS INFRA MENSEM UNUM EX ILLIS QUI HABENT ORTOS IN BERGONIA. (1)

ITEM statutum est quod potestas baennarum teneatur facere eligi in mensem unum postquam iurauerit regimem suum ex illis qui habent ortos in bergonia qui iurare teneantur facere claudi dictos ortos secus uiam publicam expensis omnium et singularum habentium ortos ibidem siue prope dictam uiam siue longe. et facere teneri apertas et expeditas bealerias sicut designate sunt. Qui massarii habeant plenam bayliam faciendi fieri predicta pro ut eis uidebitur imponendi cuilibet persone habenti ortos ibidem quantum soluere debent de expensis dictarum clausularum. Et quelibet persona que non soluerit quantitatem ei impositam per dictos massarios soluat pro pena solidos III et nichilominus teneatur soluere quantitatem predictam. Item quod quelibet persona habens ortos secus uiam predictam teneatur manutenere et facere rianam (2) quantum tenet. secundum quod ei preceptum fuerit per dictos massarios. ita quod aqua non possit uersari siue exire de dicta riana. per uiam publicam. Et qui contrafecerit soluat pro banno denarios VII et totidem pro emenda comuni quocies contrafecerit.. Et quelibet possit inde accusare et ei iuramento credatur.

217 ## De personis extraneis dare debentibus alicui de baennis. (3)

Item statutum est quod si aliqua persona extranea dare debens aliquod debitum alicui persone de baennis reperta fuerit in uilla baennarum. potestas ad instantiam creditoris uel eius locum tenens teneatur detinere personaliter predictam personam extraneam captam quousque satisfecerit creditori predicto de eo quod ei dare debuerit. uel quousque prestiterit bonam captionem de baennis de parendo iuri in baennis et coram potestate baennarum. et respondendo de iure dicto creditori de debito predicto. et satisfaciendo eidem quemadmodum esset principalis.

218 ## De personis habitantibus in baennis soluentibus fodrum et taliam pro comuni. (4)

Item statutum est quod aliqua persona habitans in baennis uel que in futurum habitauerit teneatur et debeat soluere fodrum et taliam pro comuni baennarum de omnibus mobilibus et immobilibus que habet uel habuerit in baennis uel districtu dicti loci et facere alias quascumque conditiones pro dicto comuni quemadmodum soluent et facient comuniter alie persone habitantes in loco predicto. exceptis medicis ferrariis et aliis personis que habuerint inde pactum cum comuni predicto. tali quidem modo quod aliqua persona non possit de cetero afranchitari seu liberari uel exempta fieri in aliquo de predictis. uel aliquo predictorum. quominus fodrum et taliam soluere et facere alias conditiones in omnibus ut predictum est efficaciter teneantur. et nulla persona possit uendere alicui persone exempte a fodro soluendo pro comuni baennarum. uel aliquo alio modo alienare aliquam rem immobilem que sit in districtu baennarum. Et si contrafecerit teneatur de dicta re soluere fodrum et taliam et ipsam ponere * et tenere in suo * regesto in perpetuo tamquam suam propriam rem.

219 ## DE PERSONA CONDEMPNATA QUOD POSSIT APPELLARE.

ITEM statutum est quod quelibet persona que condempnata fuerit de aliquo banno possit appellare inde quandocumque uoluerit. infra decem dies post condempnationem factam sine scriptis et quod appellatio taliter facta et sine scriptis ualeat et teneat et pro legitime facta habeatur. non obstante aliqua solempnitate iuris. Et quod sufficiat cuilibet persone appellanti facere scribi iuxta condempnationem in libro condempnationum appellauit. (1) dum inde tunc temporis datam soluat et talis appellatio firma sit et pro legitime facta habeatur et notarius curie teneatur scribere appellationem taliter factam a solidis xx infra pro denariis II pro condempnatione. et de solidis xx supra pro denariis IIII et a libra supra pro denariis VI. et si qua persona de aliqua appellatione precepit fieri publicum instrumentum habere debeat notarius de abreuiatura dicti instrumenti de solidis xx uel infra denarios IIII. et si dicta persona fecerit reddigi et scribi in carta dictum instrumentum denarios VI et * pro instrumento facto * (2) a solidis xx supra usque in libras x denarios VI et pro instrumento facto in carta solidum I et a libris x supra habere debeat de imbreuiatura solidum I et pro instrumento facto solidos II. Et quod dicta instrumenta non possint in carta nisi ad instantiam appellantis (poni). (3) Addictum est in dicto capitulo quod appellator antequam audiatur debeat solidum unum pro libra de qua fuerit condemnatus aliter non ualeat. et teneatur appellare coram domino potestate et appellationem prosequi infra quadraginta dies continuos * aliter potestas non teneatur cognosci facere ipsam appellationem sed sententiam suam exequi. (4)

220 ## DE INCIDENTIBUS ARBORES DOMESTICAS UEL SALUASTICAS ALIENAS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona inciderit uel boscauerit uel scaluauerit aliquam arborem (5) domesticam alienam soluat pro pena pro qualibet arbore solidos xx curie et totidem pro emenda passo dam-

pnum. Et si incideret uel scaluauerit aliquam alienam arborem saluaticam grossam de grossitudine canterii (6) uel supra soluat pro qualibet arbore solidos v et totidem pro emenda passo dampnum et si arbor fuerit minoris grossitudinis soluat pro qualibet arbore * aleuata * (7) solidos II et totidem pro emenda passo dampnum. Et si dampnum (8) maius fuerit dicta emenda debeat restituere dictum dampnum. secundum extimationem duorum legalium hominum. Et quelibet persona possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur tam de suo dampno quam de alieno. et teneatur priuata * et habeat tertiam partem banni * (9).

221 DE PORTANTIBUS LIGNAMINA QUE UIDEANTUR FUISSE IN BOSCHIS ALIENIS ALLEUATIS.

ITEM si aliqua persona inuenta fuerit uel uissa (10) ducere uel portare aliqua ligna uel lignamina alicubi in iurisdictione baennarum que uideantur capta fuisse in boschis alleuatis uel arboribus saluasticis uel domesticis alienis penam solidorum LV et totidem pro emenda passo dampnum substineat et quelibet persona possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. ita tamen quod persona accusans teneatur dicere persone quam accusare uoluerit ducere uel portare ligna predicta quod uult eum accusare. Et si persona accusata dixerit accusatori quod cepit ligna predicta in boscho suo. uel extra iurisdictionem baennarum uel in bosco comuni. quod persona accusans teneatur ad requisitionem persone quam accusare uoluerit ire uissum locum ubi ceperit dicta ligna. * habendo ligna predicta * iuxta cauzegna (11) que monstrauerit. et si inuenerit et uiderit dicta ligna conuenire cum cauzegna et dictum boschum esse suum uel comune uel extra iurisdictionem baennarum. predicta persona sine alia probatione absoluatur. Et hoc capitulum locum habeat tam in sortibus (12) gurre (13) et galitiarum (14) alleuatis * quam in aliis quibuscumque arboribus boschis alleuatis * in iurisdictione baennarum. hoc intellecto quod in sortibus gurre et galliciarum nulla

persona possit boschare in suis sortibus. sine licentia amborum consortum sub pena predicta.

222 QUOD MANUALES PONANTUR AD SCARSUM (1).

ITEM statutum est quod omnes manuales siue sint sectores siue sint alii quicumque ponantur et poni debeant * et conduci in baennis ad scarsum * et non ad pascendum aliquo modo exceptis magistris de manneria et manuales qui iuuarent * ad carigandum et ducendum * boues. Et exceptis illis * qui laborabunt in uilla uel in aylaria baennarum. Et qui contrafecerit soluat pro quolibet manuali solidos III curie et totidem pro emenda comuni. et manualis eamdem penam substineat. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. Et potestas possit inde inquirere aliquo capitulo inde facto in contrarium non obstante. Exceptis manualibus laborantibus extra finem et posse baennarum. Et quod aliqua persona non presumat dare uinum nec aliquod comestibile sub eadem pena. Et quelibet persona possit accusare et ei iuramento credatur. et potestas possit * inquirere. (2)

223 DE INCIDENTIBUS ALIQUAM ARBOREM IN BANNITO COSTAMAGNE.

ITEM statutum est quod si aliqua persona inciderit aliquam arborem quam cerri uel ruris piri uel mele in bannito costemagne aliquod bannum non substineat.

224 DE ILLIS QUI NON POSSUNT ESSE ACCUSATORES.

ITEM statutum est quod nullus * camparius comunis baennarum nec clauarius seu notarius curie * baennarum. siue decanus siue familiaris

domini episcopi * uel potestatis non possit esse accusator. Et quod aliquis qui non sit in regesto * baennarum librarum xx uel supra possit esse electus custos priuatus et si contrafactum fuerit eius accusa sit nullius ualoris. (3)

225 DE PERSONIS ACCUSATIS PETENTIBUS A POTESTATE UEL NOTARIO CURIE ACCUSAM UEL * PROCESSUM SIBI DARI * PER EXEMPLUM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona accusata uel inculpata de aliquo * facto re uel * maleficio pecierit a potestate uel * notario curie sibi dari per exemplum accusam uel * processum contra ipsam * factam uel infra tres dies a die qua assignatus inde fuerit ei terminus deffensionis predicta persona postquam habuerit copiam accuse uel processus habeat spatium x dierum ad faciendum inde eius * deffensionem et idem intelligatur in appellationibus. (4)

226 DE SCURANTIBUS RIANAS IN UILLA BAENNARUM SUPER COMUNI. (5)

ITEM statutum est quod quelibet persona que scurauerit uel scurari fecerit aliquam rianam in uilla baennarum super comuni teneatur facere tolli et aportari dictum leamen seu fimum quod de dicta riana extraxerit uel extrahi fecerit infra xv dies postquam ipsum extraxerit sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. et pena soluta nichilominus teneatur aufferre dictum fimum. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. et potestas possit inde inquirere.

227 ## QUOD POTESTAS ET SINDICI COMUNIS TENEANTUR IURAMENTO FACERE SCRIBI SUMMAS OMNIUM DEBITORUM QUE DARI DEBENTUR PRO COMUNI.

ITEM statutum est quod potestas * baennarum et sindici comunis * dicti loci teneantur iuramento facere scribi in libro comunis baennarum summas omnium debitorum que dari debentur pro comuni baennarum declarando capitalia. et ad quot * denarios prestiti sunt pro libra. Et eodem modo teneantur facere scribi in dicto libro summas omnium taliarum que colligentur pro comuni infra tertium diem postquam imposite fuerint et omnes alias rationes comunis. Et quod dictus sindicus teneat dictum librum tempore sui sindicatus. (1)

228 ## DE TAURIS EMENDIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur in mensem unum postquam iurauerit regimen suum facere eligi IIII homines de quolibet quarterio unum qui iuramento eligant VIII homines qui teneant IIII tauros de quolibet quarterio unum per annum ad turiendum uachas baennarum. Et quod predicti electi debeant emere quilibet unum taurum sufficientem usque ad proximum festum carnis pluuii (2) sub pena solidorum v curie et totidem pro emenda comuni pro quolibet qui contrafecerit. Et nichilominus pena soluta teneatur emere dictum taurum. et quod habeant de loerio de qualibet uacha quam turierint denarios XII (3). Et quod thaurus sit sufficiens et ad minus de Rubis VIII. Et quod ille qui tenuerit thaurum uno anno non teneatur tenere alio anno.

229 **DE PERSONIS INTERROGATIS IN IURE AD INSTANTIAM ALICUIUS.**

ITEM statutum est quod si qua persona interrogata fuerit in iure ad instantiam alicuius persone si uult esse heres alicuius. uel si tenet et possidet uel deffendere uult aliquam rem immobilem teneatur respondere dicte interrogationi sine oblatione libelli uel alterius petitionis.

230 **DE INTERLOCUTORIIS APPOSITIS.**

ITEM statutum est quod si que persona opposuerit interloqui super aliqua questione potestas teneatur facere solui incontinenti et restitui parti obtinenti expensas quas fecerit occasione ipsius questionis. Et hoc intelligatur si pars aduersa petierit. petierit cognitionem predictam fieri expensis subcumbentis.

231 **DE CITATIS PER NUNCIOS COMUNIS PERSONALITER UEL PER LITERAS POTESTATIS.**

ITEM statutum est quod si aliqua persona citata fuerit per nuncium comunis baennarum. aut per literas potestatis primo secundo et tertio. in diebus tribus ad instantiam alicuius alterius persone de baennis que ab ea petat aliquid et non comparuerit sed contumax extiterit predictis tribus citationibus. habeatur pro. confessa. de re petita. cuius occasione petitio facta fuerit. uel citatio. et potestas teneatur et debeat condempnare dictam personam contumacem tamquam presentem et confessam. in re predicta. Et mandare dictam condempnationem executioni. quemadmodum si condempnata esset presens et confessa. primo et secundo. et facere liurari et dari insolutum creditori petenti de bonis dicti contumacis. licet sit absens. si qua bona expedita reperirentur. que liurentur dicto credi-

tori. de quibus ei satisfieri possit. potestas teneatur ad instantiam dicti creditoris facere ipsam preconizzari in banno quem ad modum iurasset se nihil habere.

232 DE PONENDO FENUM INFRA AYRALIA BAENNARUM EXTRA UILLAM.

ITEM statutum est quod quelibet persona que habuerit fenum in baennis uel posse teneatur et debeat ponere et congregare medietatem dicti feni ad minus extra uillam baennarum sub pena solidorum v. pro qualibet carrata. et quelibet persona possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento. Et potestas possit et teneatur inquirere contrafacientes de mense octubris. et ipsas punire ut predictum est. aliquo capitulo facto in contrarium non obstante. et predicta inquirenda faciat cum duobus hominibus ad hoc electis per electores comunis baennarum. et hoc capitulum locum habeat in personis habentibus aylaria infra mondalauiam et cuzeam. Et quod nulla persona de baennis uel ibi habitans audeat uel presumat ducere messes uel alia blada paleas uel folias in uilla baennarum sub pena solidorum LX astensium salvo quod quelibet persona possit ducere carratam unam palearum et foliarum. et hoc intelligatur tempore pacis. (1)

233 QUOD TASCHETE (2) ET PARASIDES (3) NON TENEANTUR AD MOLANDINA.

ITEM statutum est quod in molandinis baennarum non possint teneri alique taschete uel parascides pro helemosinis recipiendis. et quod aliqua persona non possit dare farinam in aliqua quantitate alicui persone de blado portato ad molandinum. et persona que dictum granum uel farinam dederit soluat pro pena solidos x. et accipiens dictum granum uel farinam eamdem penam substineat pro qualibet uice. Et si magister molandinorum dimisserit in molandinis aliquam taschetam uel parascidem

occasione recipiendi dictam farinam uel granum caritatiue. soluat pro pena quocies contrafecerit solidos x. Et quelibet persona possit accusare contrafacientes contra predicta uel aliquid predictorum. et habeat tertiam partem banni et teneatur priuata. et potestas teneatur in mensem postquam iurauerit regimen suum facere iurare magistrum molandinorum attendere et obseruare predicta. et quod stanciatores comunis teneantur recercare omni ebdomada semel taschetas et scutellas predictas. et si que in molandinis fuerint. et accusare contrafacientes. Et potestas teneatur et possit inde inquirere omni mense uinculo iuramenti.

234 DE FORNARIIS BAENNARUM.

ITEM statutum est quod quilibet fornarius baennarum teneatur numerare totum panem qui coquetur in furno ipsius duabus uicibus. silicet crudum et choctum. et ad furnum. et presente domina uel domino panis. et restituere tantum panem choctum quantum fuerit crudus. excepto et detracto pane fornatici. et restituere panem predictum ad furnum incontinenti. et antequam alius panis choctus deportetur a furno. et quilibet fornarius qui contrafecerit soluat pro pena solidos v quocies fecerit contra predicta. uel aliquid predictorum. Et nichilominus dominus uel domina dicti panis teneatur numerare dictum panem et facere restitui panem predictum ad furnum ut predictum est. et accusare fornarium de predictis. si predicta uel aliquid predictorum facere recussauerit sub eadem pena. Et quelibet persona possit accusare personas facientes contra predicta uel aliquid predictorum. et eius iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. Et potestas teneatur facere iurare forniarios obseruare predicta in principio sui regiminis.

235 DE POTESTATE PONENDO ET CAPITULATORIBUS PONENDIS SUPER DICTO FACTO.

ITEM statutum est quod potestas baennarum debeat poni et intrare omni anno regimen potestarie in die anni noui. scilicet prima die ianuari. et non possit exercere dictum regimen ultra annum. ita quod dictus potestas mutetur omni anno et ponatur in dicto termino. Et quod potestas teneatur facere poni capitulatores et sapientes super facto regiminis omni anno. per duos menses ante dictum terminum sui regiminis. ita quod ante dictum regimen possint una cum domino episcopo sibi providere. (1)

236 DE IGNE NON PONENDO IN BOSCHIS SPECIALIUM PERSONARUM DE BAENNIS.

M°CCC IIII INDICIONE II. (2)

ITEM statutum est ad conseruandum boschos specialium personarum finis baennarum. quod quilibet homo baennis habitans uel habitaturus etatis annorum xiiii uel supra teneatur et debeat iurare quum iurabitur sequelam potestati non ponere ignem in aliquo boscho speciali finis baennarum nec poni facere nec consentire quod ponatur ignis in dictis boschis. et accusare quamlibet personam contrafacientem seu ponentem seu que possuerit ignem in dictis boschis alicubi modo aliquo uel ingenio. Et extinguere suo posse ignem positum in dictis boschis. Et ire ad extinguendum dictum ignem si fuerit in contrata ignis predicti. Et si quis ceperit uel habuerit aliquem masnengum (3) extraneum teneatur infra viii dies postquam ipsum ceperit facere iurare in manibus potestatis uel notarii curie obseruare predicta sub pena solidorum ii pro dicto iuramento. Et nichilominus dictum iuramentum fieri facere teneatur. Et hoc idem intelligatur de boschis domini episcopi (4).

237 ## QUOD CAPITULA FACTA ET ORDINATA DEBEANT OBSERUARI.

ITEM statutum est quod omnia capitula facta per capitulatores baennarum et confirmata per dominum episcopum (5) debeant atendi et observari inuiolabiliter per potestatem et eius locum tenentem remanentem (6) usque in fine regiminis potestatis qui super ipsis attendendis iurauerit. Et hoc non possit remoueri ullo modo.

238 ## DE PRECEPTIS FACTIS PER POTESTATEM AD INSTANTIAM ALICUIUS PERSONE.

ITEM statutum est quod si potestas uel eius locum tenens fecerit aliquod preceptum alicui persone habitantis in baennis. ad instantiam alicuius persone aliqua occasione et predicta persona cui dictum preceptum factum fuerit opposuerit contra dictum preceptum et requisiuerit potestatem uel eius locum tenentem quod dictum preceptum casset uel retractet. dictus potestas uel eius locum tenens teneatur incontinenti facere cognosci. et diffiniri per iudicem non suspectum si dictum preceptum est iustum uel non. si placuerit illi de cuius instantia factum fuerit dictum preceptum dictam cognitionem fieri. que cognitio fiat expensis partis subcumbentis. et in dicto casu sicut cognitum fuerit attendatur. aliter autem dictum preceptum debeat cassari et retractari.

239 ## QUOD HABITANTES IN BAENNIS NON POSSINT ACCUSARE ALIQUAS PERSONAS UEL BESTIAS NISI IN BAENNIS.

ITEM statutum est quod nulla persona baennis habitans. possit facere aliquam accusam de aliquibus personis uel bestiis baennarum nisi in baennis et coram potestate seu curia baennarum de aliquo dampno ei

dato uel in rebus suis extra iurisdictionem baennarum. Et si contrafecerit persona accusans debeat constringi per potestatem baennarum conseruare personam accusatam sine dampno de accusa per ipsum facta. alibi quam in baennis. Et quod de predictis que sunt extra iurisdictionem baennarum (accuse debeant) fieri in baennis et inde puniri. et procedi quemadmodum si essent in iurisdictione baennarum. Quod pro omnibus offensis factis extra iurisdictionem baennarum accuse fieri debeant in curia baennarum et non alibi (1).

240 DE CALIGARIIS.

ITEM statutum est quod nullus caligarius possit uel debeat capere uel habere uel capi facere aliquo modo uel ingenio pro solatura paris subtellarum (2) ultra denarios xii. cum trata (3) sub pena solidi i. pro quolibet et qualibet uice eamdem penam substineat persona que dederit ultra dictum loerium. et quelibet persona possit inde accusare contrafacientem et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata. Et potestas debeat et teneatur inde inquirere.

241 QUOD RECERCATIO FENI NON POSSIT FIERI ULTRA UOLUNTATEM CONSCILII.

ITEM statutum est quod capitulum de medietate feni ponenda extra uillam baennarum non possit unquam recercari nec inde fieri aliqua recercatio per potestatem uel alium loco sui sine uoluntate conscilii uel maioris partis. (4)

242 DE PERSONIS ACCUSATIS ET DEFFENSIONEM IUSTAM FECERINT.

ITEM statutum est quod si aliqua persona accusauerit aliquam personam seu bestias alicuius persone et de ipsa accusa persona accusata se

inde deffenderit et iustam deffensionem fecerit ita quod absoluatur. accusans teneatur et debeat restituere incontinenti illi persone accusate omnes expensas quas inde pro deffensione illius accuse iurauerit se fecisse facta taxatione idonea per potestatem siue per eius locum tenentem. Et hoc intelligatur si dicta accusa reprobabitur iniusta.

243 DE FERRARIIS.

ITEM statutum est quod ferrarius baennarum teneatur facere et debeat cuilibet uolenti tot sapas (5) quot ei neccessaria fuerint pro denariis XVI pro qualibet sapa. Item testam sape pro denariis IIII. et securis pro denariis VI. Et de aliis ferramentis secundum quod mox est. et ferrarius qui contrafecerit soluat pro qualibet uice solidos III. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et etiam potestas possit inde inquirere. et si qua persona comisserit aliquam fraudem faciendo ultra quam ei fuerit neccessarium eamdem penam substineat.



Hec sunt capitula et ordinamenta facta et confirmata per sapientes ad hoc electos tempore domini arditionis de sancta uictoria potestatis baennarum. Et confirmata per uicarium domini episcopi. scilicet dominum oddonem de riparia. scilicet. arditionem bealecium. minum nigrum. henricum carnaliam. Iohannem brucium. anselmum aragnum. henricum burdicium. siulfum cortexium. obertum de colia. iacobum barberium. francischum barberium. et conradum cognum. In anno domini MCCC.VI indicione IIII.

244 DE RETAGLATORIBUS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat facere eligi per electores comunis baennarum omni mense duos sapientes homines de conscilio super danda stantia reuenditoribus seu retaglatoribus baennarum casei carnium salatarum. candelarum sepi. saymi (1) olei salis. et omnium aliarum de quibus dicta stantia comode et ydonee dari poterit. Qui sapientes debeant mutari omni mense. Et teneantur iurare dare stantiam predictis reuenditoribus bona fide prout eis conueniens uissum fuerit et utilius pro comuni. Examinato prius diligenter et cognito pro quanto libra seu mensura rerum predictarum conuenienter uendi et dari poterit. Et quod predicti reuenditores teneantur uendere uel uendi facere semper ad libram et stantiam et mensuram omnes superius nominatas et omnes alias secundum et pro quanto precio ordinatum fuerit et firmatum per predictos sapientes et non ultra. uendendo a libra infra res predictas ad rationem precii libre et pro rata libre et non ultra. usque ad quarteronum quanta fuerit quantitas. Et persona que contra fecerit in aliquo casu soluat pro pena solidos v (2) quocies contrafecerit. Et quelibet per-

sona possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur et teneatur priuata et habeat tertiam partem banni. Et quod dicti duo sapientes teneantur iuramento recercare predicta et accusare contrafacientes. Et quod potestas teneatur facere iurare in principio regiminis sui predictos retaglatores et omnes personas uendentes et reuendentes pro dictis retaglatoribus uendere et facere ad dictam stantiam et mensuram eis datam a dictis sapientibus bona fide et secundum formam capitulorum et ordinamentorum baennarum et non aliter. Et dominus potestas uel eius locum tenens possit de predictis inquirere ad suam uoluntatem non obstante aliquo capitulo facto in contrarium.

245 QUOD ALIQUA PERSONA DE BAENNIS NON SE OBLIGET PRO ALIQUA PERSONA EXTRANEA.

ITEM statutum est quod si aliqua persona de baennis se obligauerit ad aliquod debitum ex causa mutui cum carta uersus aliquem creditorem extraneum uel de baennis pro aliqua persona extranea in baennis uel posse aliquo modo uel ingenio, soluat pro pena et banno solidos LX astenses quocies contrafecerit. Et potestas uel eius locum tenens possit de predictis inquirere. non obstante aliquo capitulo in contrarium facto.

246 QUOD ALIQUA PERSONA NON POSSIT UENDERE HERBAS ALICUIUS PRATI LEQUI UEL COSTAMAGNE ALICUI PERSONE EXTRANEE.

ITEM statutum est quod aliqua persona in baennis habitans habens aliquod pratum in posse baennarum lequi et costemagne non possit uendere uel dare uel aliquo modo uel titulo concedere alicui persone extranee aliquam quantitatem feni uel herbe dicti prati. nec inde facere aliquod contractum uel pactum cum aliqua persona extranea. cuius pretextu eidem persone extranee de aliquo feno uel herba aliquod ius aquiratur aliqua

ingenii subtilitate. Et persona que contrafecerit soluat pro pena de qualibet carrata seu quantitate carrate solidos LX curie. Et nichilominus si dictum fenum uel herbam exirent de fine baennarum. per aliquam personam baennarum uel extraneam. predicta persona in cuius prato natum fuerit dictum fenum uel herbam eamdem penam incurrat. Et quelibet persona possit inde accusare contrafacientes. Et in eius iuramento credatur. Et habeat terciam partem banni. et teneatur priuata. Et potestas possit inde inquirere. aliquo capitulo in contrarium facto non obstante.

247 QUOD ALIQUA PERSONA NON POSSIT COLLIGERE LEAMEN IN ALIQUA UIA UEL BUSSAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona cuiuscumque etatis sit non possit colligere aliquod leamen uel aliquam bussam uel rimenticium alicubi in aliqua uia publica in villa baennarum uel alibi in fine baennarum cum aliquo instrumento ligneo uel ferreo nec ibi ponere aliquas paleas super comuni et in comuni. Et quod nulla persona cuiuscumque etatis sit possit inde propter minorem etatem excussari. sed bannum soluere teneatur ac emendam de predictis quemadmodum si maior esset XXV annorum. Et pater et mater teneantur soluere in dictis talibus banna et emendas pro filiis et filiabus. Et si repertum fuerit iuxta sedimen alicuius leamen uel pautacium collectum esse in uilla baennarum quod uideatur proiectum fuisse in rectitudine domus predicte persone. persona cuius domus et sedimen fuerit. teneatur soluere bannum et emendam. et si reperta fuisset collegisse leamen predictum. Et persona que contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet et qualibet uice qua contrafecerit solidos III curie. Et dominus potestas possit et teneatur inde inquirere aliquo capitulo in contrarium facto non obstante. Et quelibet persona siue sit de familia potestatis siue alia quecumque de predictis et quolibet predictorum possit accusare quamlibet personam contrafacientem. Et eius iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. (1)

248 QUOD FILIUS FAMILIAS NON POSSIT SE OBLIGARE NEC IMPIGNORARE ALIQUOD PIGNUS IN TABERNA.

ITEM statutum est quod filii familias et masnengi omnium personarum de baennis non possint obligare aliqua pignora patrum et dominorum suorum in aliqua taberna nec ad aliquem ludum. et si obligauerint quod pater et dominus possint dicta pignora habere et recuperare sine eo quod dent aliquid illis quibus dicta pignora obligauerint.

249 DE CAPITULIS EXEMPLANDIS. (2)

ITEM statutum est quod potestas et sindici baennarum teneantur exemplari facere capitula omnia baennarum in uno uolumine seu libro papiri. et facere tenere dictum librum in coffono (3) comunis continue. Et si reperiretur ullo tempore aliquod capitulum scriptum in alio libro capitulorum quo utitur curia. esse in aliquo uariatum uel continere aliud plus uel minus quam contineatur in dicto capitulo posito in coffono. debeat adhiberi fides dicto capitulo posito in coffono et libro et non alteri.



Hec sunt capitula et ordinamenta facta et confirmata per sapientes ad hoc electos tempore domini andree vaschi potestatis baennarum et additiones in capitulis addendis. et addende et confirmate per vicarium domini Episcopi. silicet dominum oddonem de riparia. silicet Iacobum barberium. sulfum cortexium. Iohannem manesetum. henricum carnaliam. henricum moram. franciscum gaudentium. ardicionem de costamagna. Iohannem moranum. et villermum spatam. in anno domini millesimo CCCVIII indicione sexta.

250 DE NON LABORANDO IN DIEBUS FESTIUIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat laborare nec laborari facere in diebus festivis dominice. sancte marie et omnium beatorum apostolorum XII. Et persona que contrafecerit soluat pro pena et banno si laborauerit uel laborari fecerit cum bobus solidos III. et sine bobus solidum I pro qualibet persona et qualibet uice. et quelibet persona possit inde accusare. et tam familiaris potestatis quam alia quecumque persona. et eis et cuilibet ipsorum credatur iuramento. et habeant tertiam partem banni. Eo saluo quod quelibet persona siue persone sine pena et banno possit cum bobus et ceteris bestiis ducere portare granum ab ayralibus et mundare granum et neteare aylaria. stendere messes et blada. et alia neccessaria. et fenum scarcare reducere et ducere et portare ad solem. supradictis diebus festiuis. granum ad molandinum ducere et menare ac farinam. et fenare et ligare messem et alia blada.

251 ## QUOD ELIGANTUR DUO HOMINES AD ESTIMANDUM OMNIA DAMPNA QUE DEBENT A CAMPARIIS EMENDARI.

ITEM statutum est quod eligantur duo homines qui teneantur et debeant estimare omnia dampna que camparii emendare tenebuntur de tribus in tribus mensibus. qui habeant pro eorum salario. tam a campario quam a passis dampnum solidos III pro quolibet. et predicti electi teneantur iurare estimare dampna predicta bona fide.

252 ## DE NON DEBENTIBUS FLERE MORTUOS ALTA UOCE.

ITEM statutum est quod aliqua persona de baennis non debeat flere alta uoce. nec palmas ad inuicem percutere occasione alicuius corporis mortui postquam illud corpus mortuum esset extractum de domo in qua esset. nec etiam in ecclesia in qua portatum fuisset. nec in cimenterio in quo sepelliretur. uidelicet in illa die in qua esset sepultum sub pena et banno solidorum xx pro qualibet persona et qualibet uice. et familiares domini potestatis possint accusare. et quilibet alius denunciare. et credatur nisi contrarium probaretur. nec aliqua persona que attineat alicui mortuo non possit nec debeat occasione mortis illius se induere de aliquo panno nigro. seu nigri coloris excepta uxore pro marito. sub eadem pena. et habeant dicti accusatores tertiam partem banni.



Hec sunt capitula et ordinamenta facta tempore domini henrici de montilio potestatis baennarum. per sapientes ad hoc electos. a conscilio baennarum. scilicet per villermum spatam. ansermum aragnum. francischum barberium. henricum carnaliam. minum nigrum. arditionem bealecium. iohannem manesetum. henricum burdicium. et obertum de colia. capitulatores dicti comunis. et confirmata per dominum oddonem de riparia vicarium reuerendi patris domini Guidonis dei gratia Episcopi astensis. sub anno domini millesimo CCC VIIII. Indicione VII.

253 DE HIIS QUI POSSUNT UINDIMIARE AD SUAM UOLUNTATEM.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens uineas in districtu baennarum possit uindimiare et facere uindimiari suas uuas blanchas et marcidas. et etiam que marzari incipient. per xv dies ante festum sancti michaelis sine pena et banno. notificando tamen omnibus consortibus uinee in qua uindimiabuntur uue predicte sub pena solidorum III. Et quelibet persona que colligeret uel colligi faceret alias uuas quam predictas eamdem penam substineat pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice. Et si qua persona ex dictis uindimiatoribus intrauerit eo tempore aliquam uineam alienam. seu autinum uel in dicta uinea seu autino aliquas uuas ceperit. uel aliquid aliud. soluat pro pena solidos v. et totidem pro emenda. illi cuius erit dicta uinea. Et quelibet persona possit inde accusare de predictis. et quolibet predictorum. et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere.

254 QUOD POTESTAS TENEATUR FACERE OMNIA PARTITA CONSCILIORUM.

ITEM statutum est quod potestas uel eius locum tenens teneatur facere omnia partita consciliorum seu ordinamentorum. que fient per conscilium baennarum. ad tabulas albas et nigras. preter quam de factis propriis domini episcopi. (1) Alioquin ordinamenta et partita aliter facta sint nullius ualoris.

255 QUOD SINDICI. CLAUARIUS. COLLECTOR DENARIORUM COMUNIS TENEANTUR FACERE RATIONEM POST TEMPUS SUI REGIMINIS.

ITEM statutum est quod quilibet clauarius. sindicus. et alicuius talie collector. et quecumque alia persona que receperit aliquam pecuniam uel aliquod aliud mobile pro comuni seu nomine comunis baennarum aliqua occasione teneatur et debeat infra VIII dies postquam ratio facta fuerit per rationatores comunis reddere et restituere ac soluere et dare dictos denarios seu mobile quos et quod restituere debebit comuni persone constitute ad predicta recipienda pro comuni sub pena solidorum XX. et sub pena solidorum V pro qualibet die qua steterit ad soluendum et restituendum predicta persone ad hoc constitute post terminum predictum VIII dierum.

256 DE EMENDIS SOLUENDIS PER CLAUARIUM BAENNARUM.

ITEM statutum est quod quilibet clauarius baennarum teneatur sub prestitione iuramenti dare et soluere specialibus personis emendas ad ipsas pertinentes * infra tertiam diem postquam ipsas receperit. et excusserit.

et ipsas emendas * excutere quam cito banna excutiet sub pena dupli dictarum emendarum (1). et quelibet persona possit inde accusare de suis emendis. et ei iuramento credatur. et potestas teneatur facere iurare quemlibet clauarium quando iurat officium clauarie. attendere et obseruare predicta. Et hoc intelligatur si emenda fuerit petita a clauario.

257 DE OFFICIALIBUS NON DEBENTIBUS HABERE OFFICIUM COMUNIS PER UNUM ANNUM.

ITEM statutum est quod aliquis non possit habere aliquod officium notarie clauarie sindicatus rationatorum stanciatorum electorum seu existimatorum in baennis aliquo modo nisi semel in anno.



Hec sunt capitula et ordinamenta facta tempore domini haymoneti de sancta victoria potestatis baennarum per sapientes ad hoc electos a conscilio baennarum. si licet. arditionem bealecium. Guillermum spatam. minum nigrum. obertum de colia. henricum burdicium. villermum girardum. siulfum cortesium. iohannem brucium. henricum carnaliam capitulatores dicti loci et confirmata per dominum oddonem de Riparia vicarium reuerendi patris domini Guidonis miseratione diuina Episcopi astensis. sub anno domini millesimo cccx. indicione VIII[a].

258 DE NON ARENGANTIBUS IN CONSCILIO QUOD ALIQUID DETUR DE BONIS COMUNIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona de conscilio que fuerit minoris regesti arengaret uel consuleret in conscilio uille baennarum quod aliquid daretur de bonis comunis in peccunia uel alio modo. siue remiteretur ius dicti comunis soluat et soluere teneatur de eo quod daretur. uel remiteretur alicui de bonis dicti comunis tantum quantum solueret ille qui esset de conscilio et in maiori regesto.

259 DE NON IURANTIBUS IN ALIQUIBUS CONTRACTIS INSTRUMENTORUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona de baennis uel ibi habitans non possit nec debeat in aliquo instrumento uel contractu mutui uel usurario aliquod iuramentum uel sacramentum interponere seu prestare nisi esset minor xxv annorum sub pena et banno pro qualibet persona et qualibet

uice solidorum xx astensium. Et predictum capitulum sit trunchum et excissum et eidem renunciari non possit. Et si renunciatio facta fuerit sit cassa et uana et nullius ualoris. Et notarius qui reciperet instrumentum in quo fieret dictum sacramentum eamdem penam substineat. et de predictis quelibet persona possit inde accusare contrafacientem. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere.

260 DE PORCHIS NON DEBENTIBUS INTRARE ALIQUEM FONTEM.

ITEM statutum est quod si aliqua bestia porchina intrauerit aliquem fontem. siue fontes incurrat dominus uel domina dicte bestie pro qualibet bestia et qualibet uice solidos III astenses. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

261 DE PORCHARIIS DEBENTIBUS ESSE IN UILLA BAENNARUM.

ITEM statutum est quod in quolibet quarterio uille baennarum sit et esse debeat unus porcharius qui teneatur et debeat ducere ad pascendum et custodire bestias porchinas et teneatur tenere unum uerrum sufficientem ad souandum trogias. sub pena et banno solidorum III astensium pro qualibet die qua steterit quod non habeat dictum uerrum. qui porcharius debeat habere tres denarios et unum panem pro qualibet trogia que souata fuerit per dictum uerrum. Et quod quelibet persona que uellet facere custodiri suas bestias porchinas teneatur traddere custodiendas porcherio sui quarterii. et si alteri quam porcherio sui quarterii cazaret nichilominus teneatur soluere loerium in toto dicto porcherio. **Et quod quilibet qui custodiat porcos. qui non sit porcarius comunis. non possit custodire aliquos porcos exceptis suis propriis et qui contrafecerit pro quolibet et qualibet uice soluat solidos x astenses. et quod de predictis quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni et dominus potestas possit inde inquirere.**

262 ## DE CANNABO BATENDO AD BATENDERIUM PER ALIQUEM DE FAMILIA.

ITEM statutum est quod liceat cuilibet persone baennarum facere batere et aptari suum canabum ad batenderium baennarum. per aliquem de familia sua. uel alium quem uoluerit. sicut solitum est. ex antiqua consuetudine approbata in baennis. silicet ad batenderium superiorem et quod dominus potestas teneatur uinculo iuramenti facere obseruare presens capitulum illis qui tenent molandina et batenderia et ipsos facere iurare cum alii officiales iurabunt.

263 ## DE PRATIS RIUOIRE (1) QUE STENT BANNITA INFRA CONFINES.

ITEM statutum est quod prata riuoire infra confines ordinata stent bannita usque ad sanctam mariam mensis septembris exceptis pratis sancti donati et pruyciorum (2) et aliis pratis solitis disbanniri et poni extra confines que disbanniri possint ad uoluntatem conscilii. et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo.

264 ## DE BESTIIS BOUINIS NON HABENTIBUS CORNUA SCURZATA OFFENDENTIBUS ALIAS BESTIAS.

ITEM statutum est quod si aliqua bestia bouina non habens seu que non habuerit cornua scurzata offenderit aliquam aliam bestiam cum cornibus. teneatur dominus dicte bestie bouine offendentis restituere et emendare dampnum predictum illi cuius fuerit dicta bestia quam offenderit. Et si aliqua bestia bouina que haberet cornua scurzata offenderit aliquam bestiam bouinam dominus dicte bestie non teneatur in emenda dicte bestie percusse.

265 QUOD OMNES ELECTIONES FIANT INCONTINENTI ANTEQUAM POTESTAS RECEDAT A CONSCILIO.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere fieri omnes electiones que fient uel fieri debuerint ab electoribus comunis incontinenti antequam recedat a conscilio. et ipsas electiones legi et diuulgari in dicto conscilio. Et hoc capitulum locum habeat si electores fuerint presentes. Et si aliter factum fuerit dicte ellectiones non ualeant.

266 DE UXORE DECEDENTE SINE HEREDIBUS ET MARITO DECEDENTE UIUENTE UXORE.

ITEM statutum est quod si uxor alicuius hominis de baennis uel habitatoris dicti loci decesserit sine heredibus et liberis ex ipsa natis et ex dicto marito suo. uiuente ipso marito suo. tertia pars dotis dicte mulieris perueniat et lucro cedat dicto marito suo pleno iure. Et relique due partes dicte dotis restituantur illi uel illis cui uel quibus ius et casus dederit in annum unum a die mortis dicte mulieris incipiendum. Si uero maritus decesserit uiuente uxore sua. liceat eidem mulieri stare super bonis mariti sui per annum unum habendo alimenta ydonea inde secundum extimationem potestatis et duorum hominum comunalium. post uero annum. non possit habere alimenta in dictis bonis. postquam eidem dos sua fuerit restituta sibi. Et hoc capitulum non habeat locum in uxoribus uel maritis iam mortuis. Confirmatum fuit saluo iure domini episcopi (1) et ecclesie astensis .·. millesimo CCCXII indicione x[a].

267 DE IURAMENTO CAMPARIORUM UINEARUM.

ITEM statutum est quod camparii uinearum teneantur iurare in manibus potestatis tempore quo iurabunt exercere eorum officium in prin-

cipio camparie non incidere capere uel boscare seu incidi capi uel boscari facere uiride uel sichum in alienis boschis finis baennarum. nec in ipsis boschis alienis capere colligere seu capi uel colligi facere glandem uel gallam. et quod potestas teneatur dictos camparios. tunc temporis. facere iurare obseruare predicta. ut dictum est. Et nichilominus quilibet campa-rius .qui contrafecerit. uel fieri fecerit contra predicta uel aliquid predic-torum soluat pro banno solidos x et totidem pro emenda passo dampnum. et si emenda esset incerta aplicetur et perueniat curie baennarum. et quelibet persona bone fame possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et etiam teneatur priuata si dicta persona accusans fuerit in regesto de libris xx supra. Et quod potestas possit et teneatur inde inquirere.

268 QUOD ALIQUA POSSESSIO NON POSSIT UENDI NON SOLUENTI FODRUM IN BAENNIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit uendere uel modo aliquo alienare aliquam possessionem siue rem immobilem que sit in iu-risdictione baennarum alicui persone extranee seu liberate a fodro sol-uendo. pacto uel alio modo. Et si contrafactum fuerit talis uenditio siue alienatio sit nullius ualoris. Et nichilominus persona uendens uel alienans dictam rem. soluat pro pena solidos LX astenses curie. Et nichilominus dicta res taliter uendita uel alienata. aplicetur et perueniat curie baenna-rum pleno iure. Et potestas debeat et teneatur inde inquirere omni anno semel ad minus. et quelibet persona possit inde accusare.

269 QUOD MANUALES NON POSSINT STARE IN PLATHEA POSTQUAM SE LOCAUERINT.

ITEM statutum est quod aliquis manualis postquam locauerit se ad laborandum alicui alteri. certo loerio. non possit postea illa die uenire

in plathea baennarum. ad standum cum aliis manualibus qui nundum se locauerint. Et quod aliquis manualis postquam se locauerit alicui non possit se locare alteri illa die. sed teneatur laborare illi persone cui se locauerit primo. et conuenit pro loerio conuento. Et persona que fecerit contra predicta uel aliquid predictorum. soluat pro pena curie solidos v pro quolibet et qualibet uice. et quilibet possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et quod aliquis uel aliqua non possit locare aliquem laboratorem nec locari facere nisi illa die qua uoluerit facere laborari * et persona que se locauerit nisi illa die qua debebit laborare * et locator et qui se locauerit soluat pro quolibet et qualibet uice solidos III astenses et dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem * et quelibet persona * exceptis boueriis et aliis personis que laborarent in uilla et ayralibus. (1)

270 QUOD BOUERIUS TENEATUR LABORARE ILLI CUI PROMISSERIT.

ITEM statutum est quod si aliquis bouerius conuenerit seu promisserit alicui laborare seu laborerium facere cum bobus pro certo loerio: teneatur hoc ei attendere. et non possit illa die laborare siue se locare alteri. Et quilibet qui fecerit contra predicta uel aliquid predictorum soluat pro pena et banno solidos v. Et quilibet possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni.

271 QUOD PROCESSUS FACTUS CONTRA CAPITULA BAENNARUM SIT NULLIUS UALORIS.

ITEM statutum est quod si potestas baennarum uel eius locum tenens fecerit aliquem processum contra aliquam personam uel personas aliqua occasione contra formam alicuius capituli baennarum. processus taliter factus sit omnino nullius ualoris.

272 ## DE NON UASTANDO ALIQUAM ARBOREM DOMESTICAM UEL SALUATICAM ALIENAM.

ITEM statutum est quod si aliqua persona inciderit scaluauerit uel modo aliquo uastauerit uel boscauerit seu ceperit. uel arancauerit aliquam arborem domesticam alienam uel etiam saluaticam. dummodo sit fructifera. soluat pro pena pro qualibet persona. et qualibet uice. et qualibet arbore solidos x pro banno. et solidos x pro emenda passo dampnum. Et si dampnum esset maius emenda .debeat restituere passo dampnum tantum plus quantum extimatum esset. per extimatores comunis electos super damnis extimandis. et restituendis a campariis. Et quelibet persona possit inde accusare tam de suo dampno quam de alieno. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere. non obstante aliquo capitulo. uel ordinamento in contrarium facto. uel facturo. saluo quod arbores ruris cerri cornalis non comprehendantur in dicto capitulo.

273 ## QUOD LICEAT CUILIBET PERSONE DE BAENNIS UENDERE BOSCHUM QUOD HABET IN BANALLO.

ITEM statutum est quod liceat cuilibet persone de baennis uendere et quocumque alio titulo alienare boschum suum quod habet uel pro tempore habuerit in nemore banalli personis de baennis et non extraneis. tam solum quam boschum sine pena et banno. exceptis habitatoribus a xx annis citra qui non possint uendere nec alienare aliquo modo boschum suum. quod ei peruenerit in partem in dicto boscho sub pena solidorum LX pro qualibet persona contrafaciente. Et quelibet possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere.

274 ## DE TALEIS SOLUENDIS.

ITEM statutum est quod quelibet persona extranea uel de baennis que sit uel pro tempore fuerit in regesto baennarum teneatur et debeat soluere talias. que imposite fuerint pro quantitate sui regesti infra terminum super hoc ordinatum. Et si non soluerit incurrat bannum super hoc ordinatum. * Et nichilominus soluat duplum quantitatis sue talie curie. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. (1)

275 ## QUOD ALIQUA DOMUS DE SOLARIO NON POSSIT TENERI COPERTA DE COUIS.

ITEM statutum est quod aliqua domus de solario non possit teneri coperta de couis in toto uel in parte in uilla baennarum. Et si contrafactum fuerit persona cuius fuerit dicta domus soluat pro pena solidos x pro qualibet uice qua inde accusata esset. uel inculpata et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere.



Hec sunt capitula et ordinamenta facta tempore domini nicholini de santa Victoria potestatis baennarum per sapientes ad hoc electos scilicet per gulliermum spatam. minum nigrum. henricum bealecium. Georgium giraudum. Iohannem manesetum. Iohannem bealetium. obertum de colia. petrum barberium. et Iohannem brucium capitulatores dicti comunis. et confirmata per dominum Oddonem de Riparia vicarium reuerendi patris domini Guidonis dei gratia Episcopi astensis sub anno domini millesimo cccxvi indicione xiiii.

276 DE TERMINO DANDO IN CONDEMPNATIONE.

ITEM statutum est quod detur terminus in condempnatione de debitis de solidis x et infra per potestatem viii dierum et non ultra. et a solidis x supra xv dierum et non ultra. quantumcumque fuerit quantitas debiti. Et persona que non soluerit ad terminum condempnationis de solidis x et infra soluat pro pena solidos ii. et a solidis x supra soluat solidos iii. Et quod non possit fieri de uno debito nisi una condempnatio. et quod condempnatus teneatur soluere condempnationem. et quod detur terminus in qualibet condempnatione que non facta sit pretio alicuius rei que sit de solidis lx supra per unum mensem (2).

277 QUOD CAPITULA LEGANTUR ET UULGALICENTUR.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere legi et uulgalizari omnia capitula scripta in libro capitulorum baennarum omni anno in diebus festiuis per duos menses postquam iurauerit regimen faciendo cridari

quod quelibet persona ueniat ad audiendum legi dicta capitula. et teneatur potestas facere obseruare presens capitulum uinculo iuramenti si a sindicis requisitus fuerit.

278 QUOD NOMEN ET PRENOMEN CUSTODIENTIUM BESTIAS EXPRIMATUR IN ACCUSA AB ACCUSATORE.

ITEM statutum est quod quelibet persona que accusauerit aliquas bestias alicuius persone teneatur ponere in accusa dictarum bestiarum nomen et prenomen persone seu personarum custodientium dictas bestias accusatas. Et si non haberent custodiam teneatur facere mentionem in accusa quod bestie fuerint sine custodia. Et si predicta non continebuntur in accusa. accusa sit nullius ualoris. et quod custos bestiarum teneatur soluere bannum et non dominus.

279 DE CONTESTATIONE LITIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona pecierit aliquid alicui persone coram potestate uel curia baennarum. quod potestas teneatur et debeat constringere debitorem. siue reum. ad contestandum litem. postquam petitio sibi data fuerit in scriptis. infra xv dies proximos subsequentes. Et quod potestas possit dicto reo imponere penas et banna ad suam uoluntatem.

280 QUOD NON DETUR ALIQUA COUIS MESSIS ALICUI PERSONE.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat dare aliquam couem messis alicui persone mestrali (1) nec officiali. nec alicui alteri aliquo modo nisi esset cechus uel sideratus in uilla baennarum uel extra. et persona que contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet

et qualibet uice solidos x. et pro qualibet coue. et eamdem penam incurrat quelibet persona que peteret seu reciperet aliquam couem. uel coues messis ab aliqua persona. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere. Exceptis ferrariis barberiis qui possint petere et habere coues a personis quibus seruiuerint de eorum officio et non ab aliis sub eadem pena.

281 QUOD LEAMEN GURGORUM (2) DETUR PRO PUTHEIS APTANDIS.

ITEM statutum est quod detur leamen quod est in gurgis. uidelicet a domo laurentii de matis usque ad pontem cognorum. et leamen quod erit in uia publica a domo oglerii ballochi usque ad portam superiorem per ruatam summe ripe alicui persone seu personis qui teneantur et debeant manutenere puteum quart erii sancte marie bene et competenter aptatum. ita quod semper et continue possit extrahi aqua de dicto puteo. omnibus expensis dicte persone siue dictarum personarum. Item quod detur leamen a dicto ponte usque ad furnum scaficorum quod erit in gurgis dicte ruate alicui persone seu personis qui teneantur et debeant manutenere putheum quarterii Sancti Jorgii. Item detur leamen gurgorum a domo Oberti carnalie inferius usque ad domum philipi morcati quod erit et extrahi poterit de dictis gurgis dicte ruate alicui persone que teneatur et debeat manutenere putheum platee baennarum. Item quod detur leamen quod erit et extrahi poterit de gurgis que sunt a domo heredum Od donis de costamagna. usque ad domum Sicardi macellarii. et a domo petri barberii usque ad domum henrici goselmi alicui persone que teneatur et debeat manutenere putheum quarterii Sancti Juuenalis. Item quod detur leamen quod erit in gurgis a ponte domus henrici goselmi inferius usque ad domum maroni galuagni. et leamen quod erit in gurgis que sunt in retitudine domus confratrie sancti eustachii. usque ad domum dicti ma-

roni alicui persone que teneatur et debeat manutenere putheum quarterii sancti ehustachii. tali modo et forma quod predicte persone quibus date fuerint dicta leamina teneantur et debeant manutenere dicta puthea. Scilicet quilibet ipsorum suum putheum bene et competenter aptatum. cum situla cordis et cathenis omnibus suis expensis. et cum tali ingenio quod aqua possit leuiter et competenter extrahi de dictis putheis. secundum quod uidebitur potestati et sindicis baennarum qui pro tempore fuerint. Et persona ex predictis que contrafecerit soluat pro pena qualibet uice qua contrafecerit solidos v curie. et quelibet persona possit inde accusare contrafacientem et ei iuramento credatur. Et si qua persona caperet uel amassaret de dicto leamine dictorum gurgorum exceptis personis ordinatis ad manutenendum dicta puthea. soluat pro pena solidos v pro qualibet uice et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et potestas possit inde inquirere. (1)

282 DE OUE ET CAPRA ET ALIIS BESTIIS (2) INUENTIS IN ALIENO DAMPNO.

ITEM statutum est quod quelibet ouis et capra que inuenta fuerit in alieno dampno soluat dominus bestiarum pro banno denarios IIII et totidem pro emenda pro qualibet bestia passo dampnum. et pro qualibet bestia bouina et porchina et asinina denarios VI et totidem pro emenda et quelibet bestia cauallina mulina solidum I et totidem pro emenda passo dampnum. et de nocte dicta banna duplicentur omnia et quilibet pastor qui custodiret aliquas bestias in alieno dampno de nocte soluat pro pena et banno tantum quantum soluerent bestias quas custodiret ex forma presentis capituli. Et quod de predictis quelibet persona possit inde accusare de suo dampno et de alieno et ei iuramento credatur aliquo capitulo in contrarium facto uel facturo non obstante. et habeat tertiam partem banni. et quod aliqua persona non possit ducere ad pasquandum aliquas capras seu capram cum bestiis lanosis et porchinis et qui contrafecerit soluat tantum quantum solueret pro dicto facto in capitulo de bestiis caprinis et porcinis. (3)

283 ## DE CAPRA ET ALIIS BESTIIS INUENTIS IN ALIENIS UINEIS.

ITEM statutum est quod quelibet capra que inuenta fuerit in aliena uinea otino uel plantato soluat pro banno denarios VI et totidem pro emenda passo dampnum. et de mense madii et aprilis. solidum I et totidem pro emenda pro qualibet capra. et pro qualibet alia bestia grossa uel minuta que inuenta fuerit de mense aprilis uel madii in alienis uineis autinis uel plantatis soluat dominus bestiarum duplum huius quod in capitulo predicto facto et dampnis continetur. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et de nocte dicta dampna duplicentur.

284 ## QUOD OMNIA PRATA SINT BANNITA A MEDIO MARCIO USQUE AD MEDIUM SEPTEMBRIS.

ITEM statutum est quod omnia prata finis baennarum sint bannita a medio marcio usque ad medium mensem septembris.

285 ## QUOD FOLIA NON COLLIGATUR SUPER ALIENAS ARBORES NEC IN ALIENIS UINEIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit colligere nec capere folias super aliquas arbores alienas. nec etiam in alienis uineis uel autinis aliquo modo. sub pena solidorum V pro qualibet persona et qualibet uice. et totidem pro emenda passo dampnum. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni.

286 ## DE NON TENENDO BESTIAS PORCHINAS AD IACENDUM EXTRA UILLAM BAENNARUM.

ITEM statutum est quod quelibet persona que tenuerit aliquas bestias porchinas ad iacendum alicubi in fine baennarum. extra dictam uillam teneatur et debeat ipsas bestias reducere et reponere ad locum suum in loco in quo consuete sunt iacere ante solem occasum. et ipsas bestias tenere a dicta ora usque ad solem ortum in dicto loco. ita quod non possint exire ullo modo dictum locum infra dictas oras. Et persona que contrafecerit soluat et soluere teneatur pro pena et banno quocies contra fecerit pro qualibet bestia porchina solidos III. Et pastor qui custodiret dictas bestias extra dicta loca soluat quocies contrafecerit solidos xx. Et quelibet persona possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere. et quod aliqua persona non audeat uel presumat tenere a kalendis mensis augusti hinc ad festum sancti martini aliquas bestias porchinas ad iacendum extra uillam baennarum et persona que contrafecerit soluat pro qualibet nocte et qualibet uice solidos xx astenses et quod de predictis quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur er habeat tertiam partem banni. et potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem.

287 ## DE NON FACIENDO HERBAM IN NEMORIBUS ALICUIUS PERSONE IN FINE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat facere nec secari facere aliquam herbam in alicuius nemoribus alicuius persone specialis alicubi in fine baennarum. Et persona que contrafecerit soluat et soluere teneatur pro qualibet et qualibet uice qua contrafecerit solidos v curie et todidem pro emenda passo dampnum. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur.

288 ## DE ARBORE ALIENA NON SCALUANDA.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit incidere scaluare aranchare aut capere aliquam arborem domesticam alienam in aliquo loco in fine baennarum et iurisdictione. uidelicet piri meyle (1) castanee nucis ficus persici. xorbe et etiam salicis. ulmi et piobe albe (2) et ruris et etiam alicuius alterius generis arboris domestici alleuate seu plantate. Et persona que contrafecerit soluat pro pena pro qualibet uice solidos x curie et totidem pro emenda passo dampnum. et quelibet persona possit inde accusare tam de suo dampno quam de alieno. et tam familiares potestatis quam alia quecumque persona et eis et cuilibet ipsarum credatur cum iuramento. et habeat tertiam partem banni et etiam teneatur priuata. et potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem et contrafacientes punire ut supra est dictum aliquo capitulo non obstante. Et quod potestas tempore sacramenti sequele teneatur facere iurare quemlibet hominem iurantem sequelam non facere contra predicta uel aliquid predictorum et accusare quamcumque personam contrafacientem quam uiderit seu sciuerit contrafacientem in predictis uel aliquo predictorum.

289 ## DE HOMINIBUS ELIGENDIS AD DESIGNANDUM BEALERIAS.

ITEM statutum est quod eligantur tres homines per electores comunis. qui tres electi teneantur et debeant designare bealerias per prata riuolie (3) latas per unum rassum per quas possit duci aqua betalis (4) causa aquandi prata ad instanciam cuiuslibet persone hoc requirentis. et uolentis dictam aquam ad aliquod eius pratum ducere expensis dicte persone hoc requirentis. * et dummodo hoc fiat ad uoluntatem domini episcopi *. (5) Et quod dicti tres sapientes habeant plenam bayliam et plenum posse designandi et fieri faciendi dictas bealerias prout eis uidebitur conueniens per quodcumque pratum riuorie sine licentia et contradictione persone seu personarum cuius uel quorum sint pratum uel prata, per quod

seu per que designate fuerint dicte bealerie per dictos massarios. Et quod aliqua persona non possit aliquo modo impedire seu contrafacere quominus predicta fieri non possint. sub pena solidorum x pro quolibet et qualibet uice qua contrafecerit. et de predictis predicti tres et quilibet ipsorum possint accusare et eis et cuilibet ipsorum iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere. hoc saluo quod si occasione dicte bealerie dampnificaretur aliqua persona cuius esset pratum per quod fieret dicta bealeria. quod persona seu persone que requisierint dictam bealeriam fieri teneantur restituere dictum dampnum dicte persone dampnificate. secundum extimationem dictorum trium massariorum termino assignato per dictos massarios. sub eadem pena solidorum x. Et quod dicti massarii locum habeant de anno in annum. Et hoc capitulum locum habeat ubicumque in fine baennarum et tam per terras et alias possessiones quam per prata.

290 DE NON FACIENDO ALIQUOD STABULUM SUB ALIQUA PORTICU CIRCA PLATHEAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat facere aliquod stabulum seu purcile alicubi sub aliquibus porticis uel aliqua porticu circa platheam sub pena solidorum x pro qualibet persona que contrafecerit et qualibet uice. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere.



Hec sunt capitula facta tempore domini iacobini de riparia. potestatis baennarum. per sapientes ad hoc electos. scilicet per henricum bealetium. henricum burdicium. Georgium giraudum. Gulliermum manzanum. nicoletum gallum. petrum bergognonum. facium cunibertum Iohannem brucium. Rufinum pichum et confirmata per dominum oddonem de Riparia uicarium reuerendi patris domini Guidonis dei gratia Episcopi astensis. sub anno domini millesimo CCCXVII indicione XV.

291 QUOD CONTINEATUR NOMEN ET PRENOMEN IN QUALIBET ACCUSA.

ITEM statutum est quod si aliqua accusa facta fuerit in qua accusa non contineatur nomen et prenomen illius cuius erit dampnum. quod aliqua emenda non possit exigi uel excuti occasione dicte accuse.

292 DE CONTRA QUERENTIBUS CORAM POTESTATE DE ALIQUO PRECEPTO A POTESTATE FACTO.

ITEM statutum est quod si potestas baennarum constringeret aliquam personam de baennis facere aliquid precipiendo dicte persone aliquid uel aliter. et dicta persona dixerit et opposuerit. quod uideatur eidem persone quod dictus dominus potestas faciat sibi obliquum. et requisiuerit dictum potestatem quod faciat sibi cognosci per iudicem non suspectum si dictus potestas potest hoc facere uel non de iure tunc in illo casu teneatur dictus potestas facere cognosci id de quo fuerit requisitus per iudicem non suspectum. expensis persone hoc requirentis. ante quam ulterius

procedatur in causa predicta per dictum dominum potestatem. saluo quod in bannis excutiendis. condempnatis per dominum potestatem de conscilio sapientis secundum formam capitulorum et ordinamentorum baennarum et confirmatorum per dominum Episcopum uel eius uicarium. Et saluo in rixis separandis in quibus casibus presens capitulum obseruare non teneatur dictus dominus potestas.

293 DE NON FACIENTIBUS IGNEM IN AYRALIBUS EXTRA UILLAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona habens ayralia in ayralibus pascui (1) a fossatis ayralium uersus uillam. non audeat nec presumat aliquo modo facere ignem. de die uel de nocte in aliquo ayrali uel loco extra uillam baennarum in dicta fossata. nisi haberet locum in quo faceret dictum ignem copertum de tegulis in retitudine ignis per unum corpus ad minus. et muratum circumquoque uel clausum de terraciis excepto hostio. Et qui contrafecerit soluat pro pena et banno pro qualibet persona et qualibet uice solidos v. Et si ille qui fecerit dictum ignem non haberet unde solueret bannum predictum soluat bannum et penam predictam ille cuius fuerit ayrale in quo fieret uel esset ignis. Et quelibet persona bone fame possit accusare de predictis contrafacientes. et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem. aliquo capitulo in contrarium facto non obstante.

294 QUOD NULLA PERSONA POSSIT HEDIFICARE SUPER MURUM COMUNIS.

ITEM statutum est quod nulla persona possit nec debeat aliquo modo edificare uel hedificium seu caseamentum ponere super muro comunis sub pena et banno pro qualibet persona et qualibet uice solidorum LX astensium. et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. Et potestas possit et teneatur inde inquirere.

295 ## QUOD ALIQUIS NUNCIUS NEC FAMILIARIS POTESTATIS ET CURIE NON FACIAT CUSTODIAM PRO ALIQUO.

ITEM statutum est quod aliquis nuncius seu familiaris potestatis et curie non possit facere custodiam pro aliqua persona de baennis sub pena solidorum x pro quolibet famulo. et solidorum x pro qualibet persona pro qua faceret custodiam. Et eodem modo intelligatur de decanis * saluo quod decani possint facere custodiam omni nocte pro uno et non ultra cubando ad dictam custodiam tota nocte continue *. Et quelibet persona possit inde accusare et ei credatur iuramento. Et potestas possit et teneatur inde inquirere. Et si contingeret quod aliquis ex dictis nunciis seu familiaribus uel decanis faceret custodiam pro aliqua persona et reperiri posset exercitasse per testem. quod omnes accuse quas fecerint toto illo anno sint nullius valoris. Et quod si aliqua persona fecerit fieri custodiam predictis familiaribus uel decanis soluat pro pena solidos LX et omnes res illius talis persone sint disbannite. Et quelibet persona de predictis possit accusare et ei iuramento credatur. (2)

296 ## QUOD ALIQUIS NON ASCENDAT SUPER CAMPANILE.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit ascendere super campanile nec super portas et belfredo (3) et batagleriis. nisi essent custodes comunis ville et nisi de licentia potestatis sub pena solidorum x astensium. et quod non possit excussari propter minorem etatem. Et quilibet possit inde accusare et ei iuramento credatur. Et quelibet persona extranea soluat pro pena solidos xx astenses si ascenderit portas baennarum tempore criafore seu strimite si fuerit etatis xv annorum et supra. et potestas possit inde inquirere et quelibet persona accusare et ei iuramento credatur.

Hec sunt capitula et ordinamenta facta per infrascriptos capitulatores. scilicet Minum nigrum. Arditionem bealecium. Fredelicum barberium. nicoletum gallum. Conradum spatam. Obertum coliam. Oddonem aragnum. henricum bealecium. Jorgium giraudum. Michaelem cognuni. et Jacobum colium. tempore domini petrini de sancta victoria potestatis baennarum et confirmata per nobilem virum dominum Oddonem de Riparia vicarium domini Guidonis dei gratia. astensis Episcopi. ac per generale conscilium dicti loci. Et lecta et publicata in plena concione baennarum ut mox est. Anno domini millesimo CCCXXI indicione quarta. die dominica XVIII aprilis.

297 De pascuis non destruendis.

Item statutum est quod aliqua persona non audeat nec presumat ronchare cauare. uel modo aliquo alienare uel alienari facere uel ronchari seu arefeari (1) aliquam possessionem siue nemus uenditam. siue alienatam alicui persone per comune baennarum aliquo certo pacto. nec uetare nec uetari facere pascuum aliquibus bestiis. et qui contrafecerit soluat pro banno quocies contrafecerit solidos xx astenses et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et habeat tertiam partem banni. Et dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem.

298 De saluaticinis non extraendis de baennis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit extrahere seu extrahi facere aliquam saluaticinam seu perdrices de fine et posse baen-

narum. que capte fuerint in dicto posse. et qui contrafecerit soluat pro pena et banno solidos xx. quocies contrafecerit astenses. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem.

299 De furtis non recetandis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit receptare uel reducere aliqua furta seu aliquam rem furtiue captam scienter. Et persona que contrafecerit soluat si fuerit ualens solidorum v uel infra pro banno solidos lx. et a solidis v supra libras x et emendet furtum. et persona que soluere non poterit penam predictam cochatur in fronte uel incidatur ei auriculam. Et si aliquis receptaret uel reduceret aliqua furta seu res capta furtiue ab aliquo baraterio uel barateria uel ribaudo seu latronibus publicis soluat dictas penas sine aliqua excussatione siue scienter uel non fuerit. Et potestas possit inquirere ad suam uoluntatem.

300 De sestariis comunis.

Item statutum est quod potestas teneatur in mensem unum postquam iurauerit regimen facere emi a sindico comunis de here comunis unum sestarium unam eminam et unum quarterium causa misurandi granum et omnia blada. qui ponantur omnes tres ad unam cathenam. et stare debeant sub porticu comunis ita quod non possint remoueri de dicta porticu. ad quas mensuras debeant recerchari omnes alie mensure de baennis. Et si qua persona dampnum dederit uel pegiorauerit dictas mensuras soluat pro pena solidos v (2) quocies contrafecerit et quelibet persona possit inde accusare et potestas recercare et inquirere. Et quod aliqua persona sub pena solidorum lx (3) non possit tenere aliquam mensuram ut supra nisi stantiata

fuerit per stantiatores comunis nec scandaglium nisi autenticum fuerit ut supra. saluo quod si aliquis emerit ad falsam mensuram nel uenderit soluat pro qualibet sestario seu emina solidos LX si mensure fuerint sue uel fustigetur incontinenti.

301 DE NON RONCHANDO IN BOSCHIS UT INFRA.

ITEM statutum est quod aliqua persona cuiuscumque conditionis sit ullo modo audeat uel presumat ronchare strepare (1) claudere seu ronchari cauari strepari seu claudi facere aliquam possessionem seu nemus in boscho benalli defexi et in costis valancharum (2) galiciarum et gurre tam suam quam alienam. Et persona que contrafecerit soluat pro pena pro qualibet et qualibet uice solidos LX astenses. Et quod nullum bannum soluatur ab aliqua persona occasione alicuius dampni dati seu facti in aliquo roncho prato siue blado. factis contra presentem capitulum. Et quelibet persona que fecerit sequelam domino potestati teneatur iurare obseruare predicta. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. Et dominus potestas possit et debeat inde inquirere. et quod nullo modo possit secare uel fenare in costis gurre galiciarum et vallancarum aliqua persona sub eadem pena. uel fenari seu secari facere.

302 DE FERRARIIS.

ITEM statutum est quod quilibet ferrarius. habitans baennis (3) uel qui habitare uoluerit teneatur et debeat facere ferramenta cuilibet persone de baennis et ibi habitans ut infra continetur. primo pro calciatura (4) masse (5) denarios XVIII et sape denarios XVI. Item pro factura teste sape denarios VIII. et pro calciatura securis solidos II. et pro calciatura cultri solidum I. Item pro factura securis noue solidos III et denarios VI et pro factura teniuelle solidum I et tiniuelli siueleri (6) denarios VI et pro factura cuiuslibet buxole currus et pro qualibet libra ferrei denarios III et

pro quolibet alio ferramento grosso totidem. et de ferramentis menutis clauellorum (7) et maparum (8) et similibus denarios IIII pro libra. et pro calciatura xole (9) solidos II. et pro factura xole noue solidos III et pro factura manerie noue solidos V. et pro calciatura manerie solidos IIII et pro quolibet ex dictis ferramentis teneatur amolare (10) omnia ferramenta predicta pro precio supradicto. et si quis ferrarius fecerit contra predicta uel aliquid predictorum. uel pecierit ultra id quod predictum est soluat pro pena pro quolibet et qualibet uice quocies contrafecerit solidos V. Et teneatur quilibet ex dictis ferrariis tenere toto anno sufficienter carbonem causa fabricandi. Et quilibet ex dictis ferrariis qui steterit sine carbone ultra tres dies et recussauerit fabricare ex districtu (11) carbonis ultra dictas tres dies. eamdem penam incurrat quocies contrafactum fuerit. Et dominus potestas teneatur postquam iurauerit regimen infra mensem unum facere iurare omnes ferrarios obseruare predicta. Et de predictis omnibus et singulis quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et dominus potestas teneatur inde inquirere.

303 DE BESTIIS NON PASCUANDIS IN NEMORIBUS INCISSIS.

ITEM statutum est quod si aliquid nemus incissum fuerit in nemore defexi seriatim totum ysolegnum (12). quod in duobus annis proxime subsequentibus. aliqua persona non audeat uel presumat ducere aliquas bestias ad pascuandum in dicto nemore incisso sub pena et banno pro qualibet bestia grossa denariorum VI et totidem pro emenda passo dampnum. et pro qualibet bestia menuta denariorum IIII et totidem pro emenda passo dampnum. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni.

304 DE MERETRICIBUS ET RIBALDIS NON REDUCENDIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona de baennis uel ibi habitans non audeat uel presumat ospitare uel receptare aliquam meretricem siue ribaldum (1) in domo sua uel habitationis sue post campanam aue marie. Et si quis ex dictis ribaldis uel meretricibus inuenta uel uissa fuerit in domo seu habitatione alicuius de baennis uel ibi habitantis post dictum sonum soluat dominus uel domina domus. uel cuius habitaculum habuerit. pro quolibet et qualibet uice solidos v. Et quelibet persona possit inde accusare et familiares domini potestatis. et eius iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni et dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem.

305 DE SCANDALLIS TENENDIS.

ITEM statutum est quod sindicus comunis qui nunc est uel pro tempore fuerit in principio regiminis potestatis teneatur emere duos scandallos unum grossum et alium menutum expensis comunis ad quos scandallos debeant ponderare omnes res uenales que uenduntur ad pondus in baennis et posse. Et quod ordinetur unus homo bonus et legalis qui teneatur tenere dictas pessas et custodire ac saluare et ponderare cuilibet ementi et uendenti prout requisitus fuerit et habeat ab extraneis pro suo salario de quolibet rubo obolum unum usque in rubis x et ad rubos x supra pro quolibet cantario denarium I. Et si qua persona ponderauerit ad aliud pondus quam iam dictum est soluat quocies contrafecerit solidos v et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. uel ad alia recercata ad dicta scandalia comunis.

306 MILLESIMO CCCXXII. DE MACELLARIIS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit uendere ad minutum nec reuendere aliquam rem retalii siue macelli nisi ad peysas eis signatas per stanciatores comunis que peyse sint de ferro uel boglolii (2) nec etiam tenere aliquas peysas super bancho uel fenestra alias quam predictas signatas sub pena solidorum x pro qualibet peysa et qualibet uice. et potestas teneatur uinculo iuramenti inquirere ad minus ter uel quater in anno. et quelibet persona bone fame possit inde accusare et ei iuramento credatur.

307 QUOD ALIQUA PERSONA NON POSSIT PLANTARE ALIQUAS ARBORES PROPE UINEAM ALICUIUS.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit plantare neque tenere aliquas arbores salicis nec piobe prope per unum trabuchum uineam seu ortum alicuius persone in fine baennarum. Et quod potestas predictas arbores teneatur aufferri facere infra xv dies post requisitionem factam. et possit imponere penas et banna personis contrafacientibus solidorum III pro qualibet arbore et qualibet uice. et quod eligantur tres homines qui habeant plenam bayliam prouidendi super dictis arboribus hinc retro plantatis si questio inde oriretur. si dicte arbores redderent dicte uinee uel orto magis dampnum quam dicte arbores essent utilitatis illi persone cuius essent. Et tunc in illo casu secundum pronunciationem dictorum trium hominum obseruetur dictum capitulum.

308 QUOD POTESTAS TENEATUR PONERE IN REGESTO OMNES PERSONAS UNDECUMQUE SINT HABENTES ALIQUAS RES.

ITEM statutum est quod potestas teneatur infra xv dies postquam iurauerit regimen suum facere regestari. et ponere in regesto omnes per-

sonas undecumque sint habentes aliquas res uel bona mobilia uel immobilia in baennis uel posse et quod eligantur VIIII homincs de baennis qui teneantur et debeant iuramento ipsorum illas tales personas secundum et illo modo quo regestati sunt ceteri et alii de baennis regestare. (1) Et si qua persona recussauerit manifestare bona sua ut predictum est personis ad hoc constitutis. admittat res et bona quas non manifestaret uel manifestasset. et aplicentur curie. Et de predictis potestas possit inquirere si inde fuerit requisitus. exceptis personis habentibus pactum cum hominibus baennarum.

309 DE ATERMINATORIBUS ELIGENDIS QUI DEBEANT ATERMINARE COMUNE AB ILLO ALIQUARUM PERSONARUM SPECIALIUM.

ITEM statutum est quod eligantur VII homines qui teneantur et debeant adterminare comune ab illo aliquarum personarum specialium a fossato zeresolie inferius usque ad blaydam presbitorum. et ponere ibi terminos. secundum quod adterminatum fuerit per predictos uel maiorem partem ipsorum firmum sit et obseruetur. Et quelibet persona que habet possessionem ibidem contiguam dicto comuni teneatur facere unum fossatum de uno pede profundo et duobus latum super sua possessione hinc ad introitum madii et manutenere dictum fossatum sub pena solidorum III et soluta pena nichilominus dictum fossatum facere teneatur.

310 DE PORCHERIIS ET UACHERIIS COMUNIS. (2)

ITEM statutum est quod aliquis porcharius et uacharius non possit separare nec ducere aliquas bestias pascendum suas uel alienas separatas a grege nisi omnes simul sub pena pro quolibet et qualibet uice solidorum v. Et quod eligantur in qualibet clapa unus crauerius ad custodiendum capras. qui habeant pro eorum salario pro qualibet capra habente

lac eminam unam grani et pro qualibet sucta quarteronum unum. Et teneatur custodire dictas capras pro dicto salario toto anno. Et quod non possit ducere aliquas bestias suas uel alienas separatas a paria sub pena solidorum v pro qualibet personá et qualibet uice. Et potestas possit inde inquirere.

311 QUOD ALIQUA PERSONA NON DEBEAT IMPEDIRE CIMENTERIUM CORAM ECCLESIA DE ALIQUO.

ITEM statutum est quod aliqua persona non presumat nec audeat ponere habere nec tenere modo aliquo aliquod leamen ligna uel lignamina uel aliquid aliud impedimentum in aliquo loco in cimenterio ecclesie baennarum. a domo Georgii bruneti supra usque ad uotam sancti donati sub pena pro qualibet persona contrafaciente et qualibet uice solidorum x. Et nichilominus illud impedimentum auferre teneatur. Et quod de predictis quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni et dominus potestas possit inde inquirere.

312 QUOD ELIGANTUR DUO (3) HOMINES QUI DEBEANT MANERE CUM DOMINO POTESTATE QUANDO FACIT CONDEMPNATIONES.

ITEM statutum est quod eligantur per electores comunis baennarum duo homines ex illis societatis quorum unus notarius. Et duo electi teneatur et debeant esse cum domino potestate baennarum. et cum iudice qui facere debebit condempnationes et absolutiones in baennis pro curia dicti loci. qui electi iurare teneantur legaliter et bona fide ostendere dicto domino iudici omnia capitula et ordinamenta que cognouerint et scire poterint esse pro deffensione et ad deffensionem cuiuslibet persone dicte societatis baennarum inculpate et denunciate aliqua occasione in dicta curia baennarum uel per dictam curiam. et deffendere. et iura cuiusli-

bet persone manutenere et deffendere sue posse de iure et secundum formam iuris. qui electi habere debeant pro eorum salario a comuni baennarum de qualibet concione que fiet occasione predicta. uidelicet notarius solidos x (1) et ille qui non fuerit notarius solidos v. Et ultra dictum salarium nichil aliud petere possint uel exigere nec recipere ab aliqua persona occasione predicta. sub pena solidorum v pro quolibet et qualibet uice. Et dominus potestas teneatur et debeat dictos electos conpellere ad predictum officium exercendum. Et quod iudex teneatur et debeat absoluere et condempnare omnes personas et facere omnes condempnationes et absolutiones presentibus domino potestati et dictis duobus hominibus. aliter predicte condempnationes pro non facte habeantur.



Hec sunt capitula facta tempore domini aymoneti de sancta victoria potestatis baennarum per infrascriptos capitulatores. silicet Minum nigrum. francischum barberium. nicolinum gallum. henricum bealecium. Iohannem moiranum. Georgium giraudum. nicolaum cognum. villermum carnaliam. Iacobum dolium. et georgium maneserium sub anno domini millesimo CCCXXIIII indicione VII. et confirmata et approbata per nobilem virum dominum Oddonem de riparia vicarium domini Guidonis dei gratia astensis Episcopi. et lecta et publicata in plena concione baennarum. die XVIII mensis februari per Georgium maneserium notarium dicte Curie.

313 DE RIANA QUE EST IUXTA CIMENTERIUM QUOD DEBEAT REMANERE EXPEDITA.

ITEM statutum est quod riana que est iuxta cimenterium remaneat aperta et expedita a retitudine domus Georgi giraudi. usque ad pontem cognorum. tali modo quod aqua dicte riane possit labi et discolari. Et quod potestas in mensem unum postquam iurauerit regimen. teneatur facere eligi duos homines qui teneantur et debeant discernere dicta loca. et secundum quod discignauerint et dixerint obseruetur. Et persona que contra faceret impediendo dictam rianam seu uetando ne dicta aqua labi et discolari possit per dicta loca per dictos sapientes designata soluat pro pena solidos x. pro qualibet persona et qualibet uice. qua contrafecerit. Et de predictis quelibet persona possit inde accusare contrafacientes. et ei iuramento credatur. Et dominus potestas possit et teneatur inde inquirere.. Et quod dominus potestas et dicti duo electi ad designandum dictam

rianam teneantur facere fieri dictam rianam expensis comunis usque ad festum pasce proxime uenture.

314 DE NON INTRANDO ALIENAM VINEAM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non audeat uel presumat intrare alienam vineam a kalendis Iulii usque quo vinea erit tota vindimiata. Et persona que contrafecerit soluat pro pena et banno quocies contrafecerit solidos xx pro banno et totidem pro emenda illi cuius fuerit vinea de die et de nocte soluat pro banno libras x. et totidem pro emenda. Et si dictam penam soluere non poterit ponatur ad pellerinum. Et ibi stet per tres dies et tres noctes continue. Et postea sit toto illo anno illa talis persona bannita de uilla baennarum. et nox intelligatur ante solis ortum. et post campanam viniarum. Et de predictis excipiuntur laboratores qui laborarent in dicta vinea de mandato domini uel domine dicte vinee uel persone que irent per dictam vineam cum licentia domini uel domine. de quibus domino uel domina dicte uinee iuramento credatur. Et etiam excipiuntur persone que intrarent vineam alienam aliquam causa expellendi aliquas bestias de dicta vinea de quibus etiam eidem iuramento credatur. Et persone que irent per aliquam vineam ad uineam suam habentes ius eundi et redeundi per dictam vineam ad suam vineam de die. Et de predictis quelibet persona bone fame possit accusare et ei iuramento credatur. Et dominus potestas possit inde inquirere aliquo capitulo facto in contrarium non obstante. Et potestas teneatur facere legi et diuulgari dictum capitulum per VIII dies ante kalendas Iulii.

315 QUOD QUELIBET PERSONA DEBEAT CLAUDERE DOMUM ET ORTUM SUUM SIUE STALLUM IUXTA UIAM RIPE.

ITEM statutum est quod quelibet persona que habet in uia ripe aliquam domum stallum siue ortum. a domo Johannis malinali usque ad

confrariam maiorem secus dictam uiam in retitudine domus stalli siue orti teneatur claudere et tenere clausam domum suam stallum et ortum suum de uersus dictam viam et aptare et aptatam manutenere dictam viam in retitudine predicta sub pena solidorum x pro quolibet et qualibet uice. et potestas possit inde inquirere.

316 DE STIMULIS NON TENENDIS DE UERSUS VIAM PUBLICAM.

ITEM statutum est quod quelibet homo de baennis qui habet uel habuerit aliquam sepem. que habeat stimulos de uersus uiam publicam in villa baennarum. seu in ayralibus pascuy teneatur ponere et tenere stimulos de uersus suam possessionem siue domum et non deuersus uiam publicam sub pena solidorum III. Et potestas possit inde inquirere.



Hec sunt capitula que facta fuerunt per infrascriptos capitulatores. uidelicet. Minum nigrum. Nicoletum gallum. conradum spatam. Johannem bealetium. Georgium giraudum. Jacobum prepositum. Gulliermum carnaliam. petrum vaylaum. petrum bergognonum. Johannotum goselmum. Andream de meno. petrum de nouello. et petrum portonerium. tempore regiminis domini Richelmi de Richelmis potestatis baennarum. anno domini millesimo CCCXXVII indicione x de mense decembris.

317 QUOD NOTARII ET SINDICI (1) CURIE NON DEBEANT COMMITTERE FRAUDEM IN EORUM OFFICIIS.

ITEM statutum est quod si quis notarius uel clauarius curie baennarum commiserit fraudem in eius officio uel consenserit quod fraus comittatur in dicta curia. uidelicet quod banna que comitterentur et peruenirent ad dictam curiam non peruenirent omnibus illis qui habent partem in bannis soluat pro pena et banno quocies contrafecerit libras x. et quod non possit postea habere officium notarie uel clauarie in uita sua.

318 QUOD QUELIBET PERSONA QUE EMERIT ALIQUAM REM AB ALIQUA PERSONA DEBEAT SOLUERE PRETIUM IN PECUNIA NUMERATA.

ITEM statutum est quod si aliqua persona emerit aliquam rem mobilem uel immobilem ab aliqua alia persona in uilla baennarum. uel in posse. teneatur dicta persona emens seu que emerit dictam rem soluere

pretium dicte rei empte in pecunia numerata. Et quod dominus potestas possit et teneatur compellere quamcumque personam ementem seu que emerit aliquid ab aliqua persona obseruare presens capitulum.

319 De hiis qui debent redimere pignora sua que possuerint in pignore.

Item statutum est quod si aliqua persona possuerit aliquam rem in pignore penes aliquam personam. teneatur dicta persona reddimere dictum pignus ab illa persona penes quam ipsum possuerit. postquam inde requisitus fuerit coram potestate et curia baennarum. usque ad mensem unum proxime subsequentem. alioquin a dicto termino in antea. teneatur dominus potestas et possit licentiare dictam personam. penes quam positum fuerit dictum pignus. quod possit excutere et trahere de dicto pignore illam quantitatem pecunie pro qua dictum pignus sibi datum fuerit. Et eodem modo teneatur quelibet persona que receperit aliquod pignus ab aliqua persona reddere et restituere dictum pignus illi persone a qua ipsum receperit in dictum terminum unius mensis. postquam inde requisita fuerit. ut supra dictum est pro illa quantitate pecunie pro qua dictum pignus habuerit et receperit. Et pro predictis attendendis et obseruandis. possit dominus potestas imponere penam et bannum ad suam uoluntatem.

320 De canabo non seminando in ortis.

Item statutum est quod aliqua persona non possit nec debeat seminare uel seminari facere aliquod semen canabi in aliquo orto suo uel alieno. in ortis existentibus in brayda presbiterorum. et in terris olim Rainerii barberii. et heredum Johannis vayre sub pena solidorum x pro qualibet persona contrafaciente. et qualibet uice. Et de predictis quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et dominus potestas possit inde inquirere.

321 QUOD QUELIBET PERSONA POSSIT DENUNCIARE DE DAMPNO SIBI DATO.

ITEM statutum est quod quelibet possit denunciare domino potestati et curie baennarum de omni dampno sibi dato uel facto in aliqua sua possessione uel re seu fructibus infra xv dies postquam dictum dampnum sibi factum uel datum fuerit. Et quod dominus potestas teneatur et possit inquirere contra quamcumque personam denunciatam fore esse suspectam de dicto dampno dato uel facto et teneatur quelibet persona inde requisita iuramentum prestare super dicta denunciatione et ueritatem respondere. Et soluat quelibet persona que reperta fuerit culpabilis super ipsa denunciatione siue per se ipsam culpabilem reperiatur. uel per eius bestias tantum quantum solueret si accusata esset secundum formam capituli de alienis dampnis. et ordinamentorum factorum uel faciendorum super dampnis datis in alienis rebus.

322 QUOD CAMPARII BAENNARUM TENEANTUR SOLUERE EORUM EMENDAS.

ITEM statutum est quod prius quam camparii finis baennarum possint habere aliquam solutionem sue camparie a comuni baennarum teneantur dicti camparii soluere omnes emendas eis impositas et extimatas per extimatores comunis dampnorum. Et quod sindici comunis qui facient solutionem aliquam dictis campariis teneantur et debeant soluere dictis personis debentibus recipere dictas emendas. si ipsas receperint uel pecierint. et computare dictis campariis in solutione eorum salariorum illam quantitatem quam soluerint pro eis in dictis emendis. Et quod dominus potestas teneatur facere obseruari presens capitulum.

Hec sunt capitula et ordinamenta facta de omnibus huiis fossatis et omnibus comunibus ut infra continetur.

323 QUOD OMMIA COMUNIA DETERMINENTUR IN PASCHUO.

ITEM statutum est quod potestas baennarum teneatur et debeat facere determinari et designari in paschuo et in ayralibus baennarum illud qnod fuerit comunis ab illo quod fuerit alicuius persone specialis infra mensem unum postquam iurauerit regimen uille et hominum baennarum. Et illa persona que inuenta fuerit tenere aliquid comune in paschuis uel in ayralibus baennarum. siue in ayralia. nisi ei hactenus concessum fuisset a comuni sicut designatum fuerit per illos qui ad hoc constituti fuerint. illud debeat penitus dimittere expeditum et relaxare. nec de ipso comuni aliquid facere uel claudere sed dimittere disclausum et nihil in eo capere sub pena et banno solidorum x pro quolibet et qualibet uice. et solidorum x pro emenda comuni. Et potestas possit et teneatur inde inquirere.

324 DE UIA GUACII.

ITEM statutum est quod uia que uadit per terram guacii debeat teneri aperta et expedita. et quod illi qui habent possessiones iuxta dictam uiam teneantur facere unum fossatum inter se et comune tantum quantum tenent sue possessiones. largum duobus pedibus et profundum uno usque ad festum pentecostes proximum sub pena solidorum III et nichilominus teneatur facere dictum fossatum soluta pena. Et potestas possit inde inquirere (1).

LXXVIII

325 DE FOSSATO FACIENDO PER CIMAM UINEARUM.

ITEM statutum est quod qui habet terras uel possessiones uel aliquam sortem in costa sancti faustini (1) a columpna podii (2) usque ad cassenetum burse faciat fossatum I de III pedibus profundo et IIII pedibus pro largo nisi esset factum. sicut fuit designatum. hinc ad festum pasce proxime uenture. Et qui contrafecerit soluat bannum solidorum x et nichilominus dictum fossatum facere teneatur. Et quilibet habens uineam uel terram de subter. iuxta dictum fossatum teneat ipsum scuratum et profundum de tribus et IIII pedibus ut supra sub pena predicta. Et quod quilibet qui habet terram iuxta dictum fossatum super plano dimittat viam unam x pedum inter se et dictum fossatum sub pena solidorum x. Et hoc sit ad uoluntatem conscilii. Et quod potestas teneatur in mensem postquam iurauerit facere aterminare dictam uiam IIIIor hominibus. ad hoc electis. et si qua persona dictam uiam ultra terminos positos laborauerit uel impediuerit. uel iuxta posse cuius reperta fuerit impedita soluat pro pena solidos x astenses et pro quolibet et qualibet uice qua ei preceptum fuerit. et quod de predictis dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem (3). * habentes terras supra plano iuxta dictum fossatum possint tenere et laborare dictam uiam quamdiu placuerit conscilio baennarum et non ultra. et iterum quelibet persona habens uel que habuerit uineam uel aliquam possessionem in dicta costa uel in dicta contrata possit ire ad eius uoluntatem cum curru et sine quocies ei necessarium fuerit per terras que sunt inter dictum fossatum et aliam uietam que uadit per planum in rectitudine possessionis sue. siue sint imblauate siue non. sine banno. quousque comune caperet et recuperaret uiam predictam. hoc saluo quod si qua persona habet uel habebit ayrale ibidem non possit ire ad dictum ayrale per terram alicuius sed ire debeat solomodo per uiam predictam siue sit imblauata siue non.*

326 ## QUOD RIANA REMANEAT EXPEDITA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur tenere facere expeditam et aptam rianam ita quod aqua ducatur per ipsam iuxta domum Jacobi gallet̄. berte Rubee. et michaelis nigri in sumaripa. Et qui contrafecerit soluat pro pena solidos v quocies fecerit. Et quod quelibet persona teneatur manutenere scuratam dictam rianam iuxta dictam possessionem suam sub eadem pena ita quod aqua possit discolari expedite per ipsam. Et quod potestas teneatur predicta inquirere omni mense. et contrafacientes punire.

327 ## QUOD NON FIAT ARTIFICIUM COPERTUM IN PLATEA.

ITEM statutum est quod nemo possit facere artificium aliquod copertum in platea comunis. uidelicet ibi ubi erant alie beccarie (4) ueteres. Et qui contrafecerit soluat pro pena quocies fecerit solidos III et artificium destruatur.

328 ## DE NON PROICIENDO TURPITUDINEM IN PLATHEA ET UIIS.

ITEM statutum est quod si aliqua persona proiceret aliquam turpitudinem valnei (5) uel uinariam. uel aliqua alia turpia in plathea uel uiis publicis baennarum. soluat pro pena quocies fecerit solidum I. nisi esset aqua causa abluendi bestias causa macelli interfectas. siue pilandi porchos uel troyas uel nisi essent lauature uegetum uel tinarum de quibus nullum bannum substineat. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

329 ## DE FOSSATO UIE CANALETE. (1)

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere teneri scuratum fossatum super uiam canalete illis quorum sunt terre cuilibet iuxta suam. a fossato ayralium usque ad costam. quantum tendit fossatum. Et teneantur scurare usque ad festum pentecostes sub pena solidorum III curie. quod fossatum sit largum IIII pedibus et tribus profundum. Et nichilominus pena soluta teneatur scurare dictum fossatum secundum quod uidebitur conueniens duobus hominibus ad hoc electis per xv dies post preconizationem inde factam. Et quelibet persona teneatur tenere scuratum dictum fossatum et ipsum taliter manutenere iuxta suam possessionem. et quantum extenditur sua possessio. quod aqua dicti fossati non possit uersare nec exire de dicto fossato in dictam uiam publicam sub pena solidorum v pro quolibet et qualibet uice. **et quod de predictis dominus potestas possit inde inquirere ad suam uoluntatem et teneatur.**

330 ## DE AQUA QUE UERSATUR DE CANALIBUS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere duci continue aquam que uersatur de canalibus iuxta rocam (2) uille baennarum et iuxta ortum cortexiorum usque ad fossatum de pane in seno. Eodem modo teneatur face duci aquam que uadit de subter pontem porte superioris uersus cuzeam iuxta rocam uille baennarum. usque ed exitum orti Jacobi Ollerii. Et qui strauariaret dictam aquam soluat pro pena solidos x.

331 ## DE UIIS PUBLICIS APERIENDIS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere aperiri et disclaudi et apertas teneri omnes uias publicas. et uiam que uadit ad tectum banallorum. Et qui clauderet dictam uiam soluat pro pena solidos III quo-

cies fecerit et totidem comuni pro emenda. Et nichilominus teneatur expedire dictas uias. Et facere teneatur potestas elegi tres uel IIII^or homines qui debeant predicta inquirere et designare. Et hoc intelligatur extra villam baennarum. (3)

332 DE ATERMINATORIBUS ET EORUM IURAMENTO ET PENA ARRANCANTIUM TERMINOS.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat facere omnes aterminatores qui ponere debuerint siue constituti fuerint ponere aliquos terminos in aliquo loco inter aliquas personas iurare ponere dictos terminos bona fide. et habeat aterminator seu aterminatores siue sit unus siue sint plures. siue ponat in uilla baennarum siue extra. de quolibet termino quem possuerit denarios IIII. si dictum loerium petierit seu habere uoluerit. Et potestas teneatur constringere omnes electos ire ad aterminandum. et facere teneri et obseruari terminos positos per aterminatores sicut positi fuerint. ita quod nullus inde ulterius audiatur. * Et nullus infra terminos positos uel ponendos per aterminatores. cassezare (4) nec laborare possit. Et si qua persona arrancaret aliquem terminum soluat pro banno quocies fecerit solidos LX. preter quod si arancaret seu arancasset cum massa arando terram. In quo casu soluat pro banno solidos X quocies fecerit. Et hoc non possit remoueri conscilio uel alio modo. (5)

333 DE FOSSATO FACIENDO IN UILLARE LEQUI INTER COMUNE ET HOMINES.

ITEM quod quelibet persona que habet terram pratum uel uineam iuxta comune in uillario lequi teneatur et debeat facere fossatum unum de II pedibus inter se et comune. usque ad festum pasce sub pena solidorum III pro qualibet persona que contrafaceret. Et nichilominus teneatur facere dictum fossatum. Et quod potestas possit et teneatur inde inquirere.

334 DE FOSSATO UIE PERNALLI MANUTENENDO.

ITEM statutum est quod quilibet habens terram per viam pernalli ab una parte uel alia predicte uie a fossato ayralium usque ad terram Johannis saluastici teneatur et debeat facere et manutenere unum fossatum de III et IIII pedibus secundum quod uidebitur conueniens duobus hominibus ad hoc electis sub pena solidorum III pro qualibet persona que contrafecerit. Et potestas teneatur facere attendi dictum capitulum. et quod teneatur inquirere.

335 DE VIA COMUNIS NON STOPANDA.

ITEM quod aliqua persona non possit nec debeat stopare uel claudere seu impedire aliquam uiam comunem sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. saluo quod potestas possit dare licentiam de trabibus aptis ad sedendum et de banchis mestralium tenendis super comuni.

336 QUOD COMUNIA COSTAMAGNE DETERMINENTUR.

ITEM statutum est quod potestas baennarum teneatur facere aterminare comunia costemagne et lequi in mensem unum postquam iurauerit. Et hoc facto quod potestas teneatur ire cum comuni baennarum. scilicet de qualibet domo unus homo ad uastandum et discipandum godias que erunt super dicta comunia per III menses de mense madii iunii et iulii. et quolibet dictorum mensium semel.

337 DE CESSIA PLANTANDA IN FOSSATO AYRALIUM.

ITEM statutum est quod quelibet persona que habet ayralia uel ortum iuxta fossatum ayralium teneatur plantare unam cessiam super dictum fossatum. Et hoc facere teneatur usque ad kalendas aprilis. sub pena solidorum III. et quod potestas possit inde inquirere. et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur.

338 QUOD POTESTAS TENEATUR FACERE SOLUI COMUNIA EXTIMATA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere solui comunia extimata per extimatores comunis baennarum illis qui non soluerunt dicta comunia in dies XV postquam iurauerit. Et si non soluerint primo precepto potestas teneatur facere uastari dicta comunia comuni baennarum. de qualibet domo unus homo.

339 QUOD DESIGNETUR UIA A UIA SANCTI JACOBI SUPRA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere designari aterminari et manutenere uiam unam a uado sancti Jacobi (1) usque in finem sancti albani. penes costam. sicut infra. ab utraque parte uie. que uia sit ampla a dicto uado usque ad cassenetum burse XLV pedibus et a dicto casseneto supra sit ampla uia predicta XL pedibus (2). Et hoc teneatur potestas adimpleri in mensem unum postquam iurauerit regimen baennarum. Et si qua persona laborauerit in dicta uia ultra terminos predictos soluat pro pena solidos III pro qualibet uice et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

340 QUOD UIA FIAT A GURRA SUPRA SECUS COSTAM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat facere designari et fieri viam unam amplam per XL pedes. saluo plures. a gurra usque ad finem sancti albani. tam ex parte et latere xortarum banalli quam ex alia parte de subter sortes predictas. ita quidem quod si a gurra usque ad uiam marencham (1) alicubi est de comuni. ultra XL pedes. ipsum comune a seuerato. illi qui ad dictam viam designauerint designare et assignare teneantur et aterminare. Et a dicta uia marencha supra usque ad finem sancti albani. penes costam. etiam potestas teneatur facere designari et aterminari comune a seuerato seu speciali per aterminatores predictos. Et predicta facere fieri teneatur potestas infra unum mensem postquam iurauerit regimen baennarum. Et si qua persona laborauerit in dicta uia ultra terminos predictos. soluat pro pena solidos III pro qualibet uice. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

341 DE VIA DESIGNANDA A UIA MARENCHA USQUE AD BENALLUM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere emi a comuni baennarum et extimari et aterminari et decerni prout uidebitur IIIIor hominibus ad hoc electis sub prestatione eorum iuramenti unam uiam amplam XL pedibus et plus a uado uie marenche et mundalauie usque in banallum. qui quatuor homines nichil attineant habentibus prata uel possessiones in contrata ubi debuerit fieri et capi dicta via. Et hoc facere fieri teneatur potestas in mensem unum postquam regimen suum iurauerit. Ita quidem quod facta dicta extimatione uie predicte. potestas teneatur facere solui a comuni baennarum extimationem dicte uie quibus pertinuerit in mensem unum proximum post dictam extimationem.

DE FOSSATIS FACIENDIS SUPER UIAM MAIOREM ET BEALIS. (2)

ITEM statutum est quod quelibet persona habens terram uel pratum seu aliquam aliam possessionem a terra fornacis usque ad uiam marencham secus siue soslongum uiam bealis ultra beale teneatur et debeat facere unum fossatum profundum tribus pedibus et largum IIII^or pedibus tantum quantum extenduntur et tenent sua. siue possessiones. siue prata super comuni. et super solo comunis. quod fossatum sit contiguum et choereat dictae terrae siue possessionibus suis usque ad proximum festum sancti martini sub pena solidorum III. qua pena soluta teneatur nichilominus facere dictum fossatum ut dictum est. ita quidem quod dicta terra dicti fossati tota debeat poni et proici in uiam publicam sub eadem pena pro qualibet persona contrafaciente. Et quod eligantur VII homines qui aterminare teneantur comune a seuerato in dictis locis in quibus faciendum est dictum fossatum Et quod eodem modo habentes terras et possessiones a fornace superius per uiam maiorem. ab utraque parte dicte uie usque ad pratum Jacobi nigri quod est ad gurretum iuxta terram Johannis bruzii teneantur et debeant facere fossatum unum largum et profundum ut dictum est. super comuni quantum tenet et extenditur sua possessio siue possessiones. quod fossatum sit contiguum dictis possessionibus ut predictum est. usque ad predictum terminum sancti martini sub eadem pena. Et proicere terram dicti fossati in uiam publicam totam sub eadem pena. Et quod predicti VII aterminatores similiter teneantur aterminare comune a seuerato in locis predictis. Et pena soluta nichilominus debeat fieri dictum fossatum a dictis personis. Et fossatum predictum scilicet prope beale et super uiam bealis usque ad uiam marencham debeat manuteneri a qualibet persona iuxta suam possessionem. ita quod aqua non possit de ipso fossato exire uersus viam publicam sub pena solidorum III pro qualibet persona et qualibet uice. ita quod dicta fossata semper manuteneantur profunda et larga de tribus et IIII^or pedibus ut predictum est. Et potestas teneatur recerchare dicta fossata et inde inquirere pluribus uicibus.

343 DE NON IMPEDIENDO UIAM PERNALLI INFRA AYRALIA.

ITEM statutum est quod nulla persona possit tenere uel ponere aliquo modo uel ingenio aliquod lignamen uel ligna aliqua paleas uel leamen lapides uel aliquid aliud impedimentum aliquo tempore in uia puntis pernalli infra ayralia. a fossato ayralium usque ad pontem qui est iuxta ayrale siulfi cortexii sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et quelibet persona habens aliquod impedimentum. uel aliquid de suo in dicta uia illud debeat aufferre et expedire. ita quod dicta uia semper remaneat expedita ut dictum est.

344 DE LAPIDIBUS NON PROICIENDIS IN VIIS.

ITEM statutum est quod nulla persona proiciat uel ponat aliquos lapides in infrascriptis viis publicis. videlicet ab infermeria (1) usque in capite uel cimam montate sancti sisti (2). nec ab introytu montate que est iuxta autinum henrici carnalie usque in capite uel cimam montate sancti georgii (3) et quod quelibet persona que contrafecerit soluat pro pena solidos III pro qualibet uice. Et banno soluto nichilominus teneatur aufferre dictas lapides infra VIII dies postquam denunciatum fuerit sibi uel preceptum sub eadem pena. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere.

345 QUI UOLUERIT PLANTARE PLANTAS.

ITEM quod quelibet persona que uoluerit plantare plantas aliquas super possessione sua. possit ipsas plantas capere super comuni. scilicet pira et myla et ulmos ad suam uoluntatem sine pena et banno. saluis arboribus entatis super comuni. non obstante sacramento facto uel faciendo. super nemoribus iuratis.

346 DE PERSONA HABENTI TERRAS A UIA CERRI (4) USQUE AD PORTAS.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens terras a uia cerri usque ad portas ruptas ultra stratam. teneatur et debeat facere unum fossatum largum IIIIor. et tribus pedibus profundum. inter se et comune strate. Ita quod faciat super suum et non super comune. proiciendo sicut uoluerit terram quantum tenet sua possessio. quod fossatum debeat fieri ut predictum est. usque ad proximum festum pentecoste. Et qui dictum fossatum non fecerit ad dictum terminum ut predictum est soluat pro pena et banno solidos III. (5) Et nichilominus teneatur facere dictum fossatum sub eadem pena. Et debeat manutenere dictum fossatum ut dictum est sub eadem pena. Et quod potestas teneatur recerchare comunia et inquirere. uidelicet inter se et sortes liuratas per comune.

347 DE NON FACIENDO RIANAM UEL FOSSATUM.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit facere aliquam rianam uel fossatum. uel aquam ducere per transuersum uiam bealis a brayda sacerdotum usque ad uiam marencham sub pena solidorum III pro qualibet et qualibet uice. Et quelibet persona possit de predictis contrafacientes accusare. et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere.

348 QUALITER AQUA GRONDANARUM ET SEDIMINUM DEBET DISCOLARI ET LABI.

ITEM statutum est quod quelibet persona permittat et permittere debeat labi et discolari aquam grondenarum et sediminum. et hedificiorum expedite per loca que solita sunt labi et discolari. et persona que

contrafecerit soluat quocies contrafecerit solidos II curie et totidem pro emenda passo dampnum. Et quelibet persona possit ponere niuem disponderando domum siue tectum in quintaneis (1) et curtibus inter ipsum et consortes. siue consortem licite et sine banno. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. Et potestas teneatur facere teneri expedita dicta loca. Et si qua persona tenuerit impedita dicta loca. eamdem penam incurrat. Et quelibet persona possit inde accusare. et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere.

349 DE FOSSATO FACIENDO A MONTATA PLOBIE USQUE AD COSTAS SECUS UIAM SARMATORII.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessionem aliquam ab ayrali urglizoni lingue usque ad costas secus uiam sarmatorii ab utraque parte uie teneatur facere inter se et comune tantum quantum tenuerit sua possessio unum fossatum largum IIII^or^ pedibus et profundum tribus pedibus a carnis pluuio proximo usque ad festum pentecostes proximum. et quelibet persona teneatur manutenere dictum fossatum scuratum et aptatum de IIII pedibus et tribus pedibus ut dictum est sub pena et banno solidorum III et totidem pro emenda. Et nichilominus pena soluta tencatur manutenere dictum fossatum ut dictum est. Et potestas teneatur et possit inde inquirere.

350 DE FOSSATO FACIENDO SECUS COSTAM BANALLI USQUE AD FINEM SANCTI ALBANI.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens aliquam possessionem contiguam comuni secus costam banalli. a terra mini de nouello que est subter yssolam (2) illorum de costamagna superius usque ad finem sancti albani teneatur et debeat facere inter se et comune unum fos-

satum grossum et largum duobus pedibus usque ad kalendas madii proximi. et semper manutenere dictum fossatum largum et profundum de duobus pedibus ut predictum est sub pena solidorum III curie pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et nichilominus pena soluta teneatur facere et manutenere dictum fossatum ut predictum est.

351 DE FOSSATO FACIENDO PER UIAM SANCTI JUUENALIS. (3)

ITEM statutum est quod quelibet persona habens aliquam possessionem per viam sancti Juuenalis ab ayrali manfredi betalle. usque ad cimam montate sancti Juuenalis ab utroque latere secus uiam teneatur facere super solo suo inter se et comune unum fossatum usque ad proximum festum pentecostes. largum IIII^or pedibus et profundum tribus sub pena solidorum II curie. Et nichilominus teneatur facere semper et manutenere dictum fossatum largum et profundum ut dictum est sub pena predicta.

352 DE FOSSATIS FACIENDIS SUPER PLANO SANCTI FAUSTINI ET ELEXI.

ITEM statutum est quod ad conseruanda comunia et pascua comunis baennarum quod quelibet persona habens possessionem iuxta uias publicas siue molias (4) comunis super plano sancti faustini in aliquo loco. et comunia eodem modo super plano elexi (5) teneatur et debeat facere manutenere super comune unum fossatum. ita tamen quod dictum fossatum choereat et sit contiguum possessionibus ipsorum de uno et duobus pedibus. infra terminum cride inde facte. Et quod potestas teneatur dictam cridam facere fieri infra unum mensem postquam iurauerit regimen. Et persona que contrafecerit soluat pro qualibet et qualibet uice solidos III. Et nichilominus fossatum ut dictum est facere teneatur. Et quelibet persona possit inde accusare et credatur accusationi sue iuramento. Ita tamen

quod terminus cride predicte sit usque ad festum pentecostes. post regimen potestatis. et infra unum mensem ante festum paschatis potestas teneatur facere aterminari et decerni comune in predictis locis a speciali.

353 DE VIIS APTANDIS IN UILLA BAENNARUM ET INFRA AYRALIA.

ITEM statutum est quod quelibet persona teneatur et debeat facere et aptare uias publicas in villa baennarum et extra villam. et infra ayralia ubicumque in rectitudine sediminum et domorum et aliarum possessionum suarum quantum et protenduntur dicte possessiones. ita quod dicte uie sint bene et competenter aptate. usque ad festum sancti martini proximi uenturi. et persona que contrafecerit soluat pro pena solidos III. Et quod eligantur IIII^or massarii de quolibet quarterio unus. qui teneantur et debeant facere adiuuari ad aptandum dictas vias a personis habentibus sedimina alonge a uiis publicis. ubi. et prout dictis massariis uidebitur. cuilibet in quarterio suo. et secundum quod dicti massarii ordinauerint et preceperint super predictis. Et potestas teneatur facere atendi et obseruari et punire contrafacientes et quod dicti massarii possint extra villam facere strepari et incidi in boschis iuratis et in aliis quibuscumque prout eis uidebitur pro dictis viis aptandis.

354 DE NON ARANDO UIAM UEL CAUANDO CAPTAM UEL EMPTAM.

ITEM statutum est quod nulla persona habens terram iuxta uiam captam uel emptam per comune baennarum per fibinas (1) a uia marencha superius presumat arare uel cauare dictam uiam ultra terminos ibi positos inter dictam viam et terras sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. Et si alicubi dicta uia reperta fuerit aliquanto arata cauata uel impedita. persona iuxta posse et terram cuius re-

perta fuerit dicta aratura uel cauatura seu impedimentum eamdem penam substineat pro qualibet uice et quelibet persona. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur. et habeat tertiam partem banni. et teneatur priuata.

355 DE HABENTIBUS TERRAS UEL POSSESSIONES PER UIAM BEALIS AB ORTO HENRICI DE AST SUPERIUS.

ITEM statutum est quod persona habens possessionem uel terram per uiam bealis ab orto henrici de ast superius ultra beale usque ad finem sancti albani teneatur et aptare et tenere strepatam et aptatam uiam publicam iuxta possessionem suam. et quantum extenditur dicta possessio eius. ita quod sit apta et strepata secundum quod ordinauerint et preceperint duo massarii ad hoc electi sub pena solidorum III pro qualibet persona quocies contrafecerit. qua pena soluta nichilominus teneatur facere et obseruare predicta. quos massarios dominus potestas teneatur facere eligi infra mensem unum postquam iurauerit regimen baennarum. et facere aptari et si dictam uiam et manuteneri ut dictum est. videlicet de mense madii.

356 DE FOSSATO FACIENDO PER VIAM PODII A STRATA USQUE AD UOTAM UIE PODII.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens terram uel aliquam possessionem aliam per uiam podii a strata usque ad uotam uie podii iuxta dictam uiam ab utraque parte uie predicte debeat et teneatur facere unum fossatum profundum tribus pedibus et largum IIII^or quantum tenet sua possessio usque ad exitum mensis madii proximi. Et semper manutenere dictum fossatum ut dictum est sub pena solidorum III pro qualibet persona que contrafecerit. Et nichilominus teneatur facere dictum fossatum.

Et debeant facere super comuni ita quod sit contiguum eius possessioni. Et quod potestas teneatur facere aterminari dictam uiam in mensem postquam iurauerit regimen.

357 DE UIA MALI SCARONI (1) FACIENDA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere fieri unam uiam ad malum scarronum que uia fiat per rilauetum (2) et per ronchum barleti et facere manuteneri aptatam dictam uiam. Et hoc facere fieri et compleri teneatur usque ad kalendas madii.

358 QUOD POTESTAS UEL EIUS LOCUM TENENS NON POSSIT RECERCHARE UIAS ALIQUAS.

ITEM statutum est quod potestas uel eius locum tenens non possit nec debeat facere aliquam recercationem in uilla uel posse baennarum occasione aliquarum uiarum comunium uel aliquorum fossatorum uel bealeriarum comunium uel specialium nisi prius fecerit preconizari publice super campanile baennarum capitulum siue capitula uigore cuius uel quorum faceret dictam recercationem in qua preconizatione detur terminus ad minus xv dierum.

359 QUOD POTESTAS TENEATUR ET DEBEAT FACERE ELIGI TRES UEL IIII HOMINES QUI DEBEANT RECERCARE FOSSATA.

ITEM statutum est quod potestas teneatur et debeat si recercare uoluerit aliqua fossata facta uel facienda in fine baennarum ex forma alicuius capituli baennarum seu aliquam partem fossatorum predictorum facere eligi tres uel IIII homines de conscilio per electores comunis baennarum qui debeant recercare ipsa fossata. et secundum quod per eos electos

uel maiorem partem ipsorum dictum uel factum seu ordinatum fuerit super predictis fossatis fiat et attendetur. Et quod aliter potestas aliquam penam seu aliquod bannum habere non possit. dum fossata sint illius largitudinis et profunditatis que continetur in capitulis inde factis nullam penam substineat persona inculpata. licet forte non essent scurata.

360 DE CESSIA STREPANDA AD UILLARIUM COSTEMAGNE.

ITEM statutum est quod quelibet persona que habet possessionem aliquam iuxta uiam publicam per planum costemagne a uia crossa que est in capite banniti usque ad uillarium costemagne. teneatur et debeat strepare cessiam per dictam uiam tantum quantum tenet sua possessio. si qua ibi fuerit. saluis arboribus piri et meyle ruris et cerri usque ad exitum madii et nichilominus teneatur tenere et manutenere strepata super dicta loca. sub pena et banno solidorum III. Et quod potestas teneatur et debeat inquirere predicta et punire culpabiles et contrafacientes non obstante aliquo capitulo in contrarium facto.

361 QUOD FIAT FOSSATUM IN CONA (3) IUXTA COMUNE.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessionem aliquam in fine costemagne. scilicet in cona iuxta comune. teneatur facere fossatum largum II pedibus et profundum uno pede hinc ad festum pentecostes. ita quod dictum fossatum choereat dicte sue possessioni. Et semper teneatur dictum fossatum manutenere largum et profundum ut dictum est sub pena solidorum III curie pro qualibet persona contrafaciente. Et pena soluta nichilominus teneatur facere et manutenere semper dictum fossatum ut predictum est sub eadem pena. Et quelibet persona possit inde accusare. et eius iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et potestas possit inde inquirere non obstante aliquo capitulo in contrarium facto. Et nichilominus potestas teneatur facere fieri dictum

fossatum penis et bannis impositis personis contrafacientibus. prout uidebitur ipsi domino potestati. Et confirmatum est hoc capitulum. saluo iure cuiuslibet persone specialis.

362 DE FOSSATO FACIENDO ET MANUTENENDO AD RIUUM RUBEE. (1)

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessionem aliquam ad riuum rubee contiguam comuni ab utraque parte vie a prato villelmi spate usque ad terram borrorum et dauici quayre et quantum tenet dicta terra teneatur facere dictum fossatum et manutenere factum de tribus et IIII pedibus super comune inter se et comune ita quod dictum fossatum sit contiguum dicte possessioni usque ad festum pentecostes et proicere terram dicti fossati totam uersum uiam sub pena solidorum IIII pro banno et totidem pro emenda comuni pro qualibet persona contrafaciente et nichilominus teneatur manutenere dictum fossatum ut dictum est. et si qua persona strauariauerit aquam dicti fossati alicubi eamdem penam substineat. Et quelibet persona possit inde accusare contrafacientes et ei iuramento credatur. Et potestas possit inde inquirere aliquo capitulo non obstante.

363 DE FOSSATO FACIENDO AD MOLIAM MARTINI TROSARELLI.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessiones a molia que fuit martini trosarelli usque ad pontem tiraculi (2) ab utraque parte uie teneatur et debeat facere unum fossatum inter se et comune usque ad dictum pontem. taliter quod aqua non possit labi in uia publica. Quod fossatum debeant fecisse usque ad festum pentecostes proxime uenturum sub pena et banno solidorum III pro qualibet persona. Et nichilominus teneatur facere dictum fossatum. et quod potestas uel eius locum tenens teneatur faceri fieri dictum fossatum ut dictum est.

364 ## DE PRIUATIS ET QUINTANIS CLAUDENDIS IUXTA PLATEAM.

ITEM statutum est quod quelibet persona habens quintanas seu priuatas in contrata platee baennarum debeat eas claudere et murare. taliter quod fetor non possit inde nocere in aliqua que fuerit in plathea predicta uel sub porticis que sunt iuxta plateam. sub pena solidorum LX pro qualibet persona contrafaciente. et qualibet uice. Et potestas teneatur facere predicta obseruari et compleri. Et possit de predictis inquirere quod facere fieri teneatur potestas usque ad festum carnispluuii. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iurameuto credatur. Et habeat tertiam partem banni. et bannum excuti possit incontinenti sine deffensione et condempnatione.

365 ## DE FOSSATO FACIENDO AD PONTEM MONEACII. (3)

ITEM statutum est quod quelibet persona habens possessionem aliquam a ponte moneaci usque ad trauachetum (4) et pratum cognorum et ad uadum trauacheti ab utraque parte uie teneatur et debeat facere et manutenere seu facere fieri unum fossatum super sua possessione largum tribus pedibus et profundum duobus hinc ad festum pentecostes proximum sub pena solidorum III pro qualibet persona contrafaciente. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur et habeat tertiam partem banni. Et a terra heredum petri bellixi usque ad canaletam persona que habebit aliquam possessionem tenentem cum dicta uia deuersus cuzeam teneatur et debeat facere fossatum crossum IIII pedibus et largum v in cima ita quod aqua per dictum fossatum possit labi sub pena solidorum xx astensium et potestas teneatur inquirere (5).

366 DE FOSSATIS FACIENDIS ET SCURANDIS PER LABORATOREM TERRE.

ITEM statutum est quod quelibet persona que laborauerit aliquam terram alicuius persone cuiuscumque conditionis sit in fine baennarum iuxta quam terram debeat facere uel scurari aliquod fossatum ex forma alicuius capituli baennarum teneatur dictus laborator facere et scurare dictum fossatum secundum formam dicti capituli sub pena solidorum v. Et hoc intelligatur si persona cuius fuerit dicta terra predicta non fecerit. Et nichilominus si contrafactum fuerit. et postmodum in bladum uel in dicta terra fuerit damnum aliquod datum nullum bannum uel emendam inde soluatur.

367 QUOD AQUA NON DUCATUR PER TRANSUERSUM ALICUIUS UIE.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit ducere seu duci facere aliquam aquam per transuersum alicuius uie comunis alicubi in fine baennarum. nisi prius in dicta uia fecerit cuniglum. siue pontem tantum quantum lata fuerit dicta uia per quam ducetur dicta aqua. taliter quod dicta uia occaxione dicte aque non peioretur. et teneatur dicta persona que duxerit seu duci fecerit dictam aquam tenere taliter aptatum dictum pontem seu cuniglum. quod aliqua bestia non possit occasione dicti pontis siue cunigli in aliquo peiorare uel uastari. et si aliqua bestia peioraretur uel deuastaretur occasione predicta. persona cuius fuerit dictus pons siue cuniglum teneatur emendare dictam bestiam. secundum extimationem extimatorum comunis baennarum. et persona que contrafecerit soluat et soluere teneatur nomine pene et banni quocies contrafecerit curie baennarum solidos v. Et quelibet persona possit inde accusare et ei iuramento credatur.

368 DE MASSARIIS ELIGENDIS CUILIBET UIE UBICUMQUE IN FINE BAENNARUM.

ITEM statutum est quod potestas teneatur facere eligi unum massarium cuilibet uie ubique in fine baennarum. qui teneantur et debeant facere aptari dictam viam cuius fuerit massarius. prout ei uidebitur. qui massarius habeat plenam bayliam imponendi penas et banna pro dictis uiis aptandis ad eius uoluntatem hominibus habitantibus in baennis. siue habentibus possessiones in contrata illius uie.

369 DE NON FACIENDO DAMPNUM IN FOSSATIS SECUS AYRALIA.

ITEM statutum est quod aliqua persona non possit offendere uel dampnum dare in fossatis factis secus ayralia nec etiam in spadis et aliis clausuris que sunt super dictis fossatis. saluo quod quelibet persona possit facere unum cuniglum causa scolandi ayralia et xauandi ortos. dummodo non peioretur ripa fossati sine pena et banno.

370 DE AQUA QUE DUCITUR PER RIPAM UINEARUM RILAUETI.

